


C. 45.

3.



JO.GOTHOFR.LAKEMACHERI
GR. ET ORIENT. LINGV. PROF. ORD.

1

OBSERVATIONES PHILOLOGICÆ

QVIBVS

VARIA PRÆCIPVE S. CODICIS
LOCA EX ANTIQVITATIBVS
ILLVSTRANTVR.

PARS VII. ET VIII.



HELMSTADII
Impensis CHRIST. FRIED. WEYGANDI.
MDCCXXXII.

KEN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GERLACHO
ADOLPHO

LIB. BAR.
DE MÜNCHHAVSEN

AVGVSTISS. M. BRITANNIÆ REGI
BRVNNSVICENS. AC LVNEBVRG. DVCI
ET S.R.I. ELECTORI

A CONSILIIS SANCTIORIBVS

DYNASTÆ IN STRAVSFVRT,

STEINBERG

RELIQVA.

VT ET

VT ET
VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
R V D O L P H O
ANTONIO
LIB. BAR.
DE ALVENSLEBEN
POTENTISSL. M. BRITANNIÆ REGIS
CONSILIARIO INTIMO
DYNASTÆ IN HVNDISBURG NEVEN-
GATERSLEBEN, GLÖTZE,
ROGÄTZ REL.
*DOMINIS SVIS PER-CLE-
MENTIBVS MÆCENATIBVS
SVMMIS
FELICITATEM CONSVMMATAM*
FRECATIVE
JO. GOTHOFR. LAKEMACHER.



Abent pro-
fecto Musæ
Juliæ, cur fe-
licitati suæ
gratulentur,
quod in Tu-

toribus suis Vos nume-
rant, ILLVSTRISSIMI
)(3 Do-

DEDICATIO.

DOMINI, quos & omni doctrina mirandum in modum Ipsos esse excultos, & disciplinas meliores quascunque, harumque studiosos, benignissime fore, abunde est comperatum. Nolite igitur mirari, MÆCENATES EXOPTATISSIMI, quod concurrant ad Vos certatim, qui litteras in hac academia colunt, judicioque VESTRO limatissimo ingenii sui monumenta submittant, Vestrā etiam allecti comitate, quam cum summa, qua polletis, auctoritate sua-
viter

DEDICATIO.

viter copulatis. T V A S ,
ILLVSTRISSIME DOMINE
DE MÜNCHHAVSEN, vir-
tutes alias, T V A in rem-
publicam merita ingentia,
quæ admirationi sunt o-
mnibus, pridemque effe-
cerunt, ut & REGI OPTI-
MO charissimus habearis ,
atque tum ab iis , qui im-
perio ejus blando parent ,
tum ab exteris quoque ,
devote suspiciaris , prædi-
cent alii , quibus vis est
major eloquentiæ. Mihi
id unum jam liceat attin-
gere, quod non eas solum
ames, & ornare soleas litte-

) (4 ras,

DEDICATIO.

ras, quarum præsidio in
administranda republica o-
pus est maxime, verum
etiam illas, quæ res anti-
qui orbis contemplantur,
atque hinc plurimum lu-
cis libris divinis repetunt
& re ipsa afferunt. Ex
quo genere quum, quas
demissi animi cultu nunc
offerо, natæ sint commen-
tationes, tenues licet mi-
nusque exornatae; in spem
adducor fore, ut clemen-
ter abs TE admittantur.
**TE vero, ILLVSTRISSI-
ME DOMINE DE ALVENS-
LEBEN,** ut splendidi mu-
ne-

DEDICATIO.

neris, ita earundem quoque virtutum laudumque in societate constitutum, meæ artis homines non possunt non eo etiam nomine summopere venerari, quod litteras Græcas & Hebraicas Tvo dignatus sis studio, & plane familiares TIBI reddideris. Quod quo in tanto fortunæ gradu est rarius, eo litteris eisdem, omnibusque, qui illis dant operam, accidit honorificentius. Ac ut testatius etiam faceres, quanti studia hæc abs TE æstimas

(5)

men-

DEDICAT^IO.

mentur; illud studiosæ ju-
ventutis decus, Filium
TVVM, qui paternarum
virtutum æmulum se quo-
tidie nobis ostendit, in-
cumbere in ea voluisti;
& notitiam linguæ Græ-
cæ sibi comparare accu-
ratam. In quo studio
quando adjuvari illum
mea qualicunque opera
perclementer jussisti, a-
gnosco sane gratus, &
mente devotissima vene-
ror, gratiæ in me TVÆ
singularis significationem
luculentam. Confido i-
gitur, æque felicem
par-

DEDICATIO.

partis harum *Observatio-*
num septimæ & octavæ
sortem fore, atque illa
secundæ fuit & tertiæ,
quas **ILLVSTRISSIMO**
quondam **HEROI**, P A-
R E N T I T v o beatæ me-
moriæ, inscriptas, beni-
gnissime ab Eo exceptas
fuisse, non sine summa
voluptate recordor. De-
um precor immortalem,
ut **Vos**, MÆCENATES
S V M M I, quam diutissime
propitius fospitet, atque
omni felicitatis genere cu-
mulet, gentemque splen-
didissimam utramque no-
vis

DEDICATIO.

vis indies augeat gloriæ
incrementis. Valete, Do-
MINI PER-CLEMENTES,
meque celso V E S T R O
patrocinio habeatis com-
mendatissimum. Helmsta-
dI, in acad. Julia, ad d. xxv.
Apr. MDCCXXXII.



PRÆ-

PRÆFATIO LECTORI BENEVOLO

S. P.



*Ifi abrumpendum
fuisset filum ,
propter tempora-
ris angustiam ,
& negotiorum
aliorum, quibus
adbuc distractus
sum, multitudinem ; partes harum
observationum quatuor, quas uno
hoc volumine comprehendere con-
stitueram, Tibi nunc exhiberem,
Lector Benevole. Pro certo ta-
men hoc Tibi polliceor atque con-
firmo, omnem me daturum operam,
ut*

PRÆFATIO.

ut quæ primæ decadi adhuc defunt partes, simul cum indicibus necessariis, proxime, si Deus velit, subsequantur. Præterea nihil in præsenti habeo, quod moneam, nisi quod obstrictum me profitear *Viris* illis doctissimis, qui labori huic meo aliquod, idque, ut mihi videtur, majus etiam, quam merrebatur, pretium publicis scriptis statuere sunt dignati. Quorum humanitati atque benevolentiae quod referam, hoc erit, ut satisfaciam *Ipsorum* desiderio, quo requirere videntur, ut nonnihil ejus temporis, quod ab occupationibus, quas muneris gemini ratio a me exigit, vacuum mihi fuerit, telæ huic continuandæ impendam, servato semper eodem, quod ab initio secutus sum, instituto.
Vale.

OB-

OBSERVATIONVM
ELENCHVS.

P. VII.

- I De simulacro Nebucadnezaris aureo, ad Dan. III, 1.
- II De *Pelaïm*, quod sit *Pelusium*, ad Thren. I, 9.
- III De formula elliptica: *nonne ad vos viatores*, ad Thren. I, 12.
- IV De formulis: *motitare caput & aperire os*, ad Thren. II, 15. 16.
III, 46.
- V De auro templi per Babylonios obscurato, ad Thren. IV, 1.
- VI De pueris Judæorum cum ligno impingentibus, ad Thren.
V, 13.
- VII De Judæorum regione ad mare non sita, ad Josephi L. I
contra Apionem p. 443.

P. VIII.

P. VIII.

- I De ritibus formulisque precum
Pharisei & publicani, ad Luc.
XVIII, 9. sqq.
- II De cœlestibus, terrestribus &
inferis, genua in nomine Jesu
Christi flectentibus, ad Phil. II,
9, 10.
- III De Simfone, portas Gazæ in
montem quendam deportante,
ad Jud. XVI, 3.
- IV De baculo ferreo, quo gen-
tes confringendæ, ad Ps. II, 9.
- V De voce בְּמַתָּן, Es. LIII, 9.
- VI De extremis terræ, Act. I, 8.
- VII De excæcandis iis, qui sacer-
dotem aspiciunt benedicen-
tem.



JO.GOTHOFR.LAKEMACHERI
OBSERVATIONVM
PHILOLOGICARVM
PARS SEPTIMA.

OBSERVATIO I. *)
DE SIMVLACRO NEBVCAD-
NEZARIS AVREO.

Ad Dan. III. 1.

נָבוּכָנֶצֶר מֶלֶךְ עַכְרֵץ צָלֵב וְיֵדְהַב רֹומָה
אָמַן שְׁתִין פְּתוּחָה אָמַן שְׁתִין אֲקִימָה בְּכָקָעָתָה
דוֹרָא בְּמִרְיָנָת בָּבֶל.

*Nebucadnezar rex imaginem fecit auream,
cujus altitudo cubitorum sexaginta, latitudo
cubitorum sex erat : Erexit eam in valle Du-
ra, in prefectura Babylonis.*

CON-

*) Ad disputandum proposita, Jubilæo Confessio-
nis Augustanæ altero, ad d. 1. Jul. 1730. a cultissimi
ingenii juvene, ERNESTO LUDOV. KATHLEFIO,
Pars VII. A quæ

CONSPECTVS.

Scriptionis occasio memoria sacerularis Augustanae confessionis, qua recordari contigit cultus superstitionis, imaginibus olim exhibiti. Dicendorum series. §. I. *Imago a Nebucadnezare erecta atque dedicata non ipius regis fuit, sed Dei, quem venerarentur Babylonii.* פָּלָע cultum divinum universum; סְגָר vero solum designat adorationis ritum. §. II. *Deus ille Belus est, numen Babyloniorum principium: quem Graeci non diversum censuerent a Jove. Beltsazar thesaurarium notat Beli.* Littera T ex nomine Beltis, quod reginae fuit antiquissimæ, insertum. Mos Babyloniorum dandi viris principibus nomina ex Diis. §. III. *Belus rex antiquus, isque urbis simul, vel arcis saltem, conditor, Deorum tandem numero adscriptus. Babylonii nomen factum ex Belo.* §. IV. *Templum ei consecrarunt Babylonii opulentum, turrique instructum magnifica.* §. V. *Statuis illud exornatum erat ingentibus atque splendidis.* §. VI. *Babylonii in Belo Solem simul coluere, eaque de causa signa ei posuerunt miræ altitudinis: cuiusmodi statuis gentes etiam aliae Solem honorarunt. Aurum Soli effigiando cum primis aptum. Signa Beli formam retulerunt humanam.* §. VII. *In altitudine statuae Nebucadnezaris dimetienda bascos quoque, sive stylobatae, rationem habuit Daniel. Non solidum fuit opus, sed cavum intus, vel Sili- gneum*

qui uti argumentum hoc ipse sibi delegerat, ita manum quoque operi admovere non intermisit. Augeri facile poterat dissertatio observationibus variis, quas vero cum brevitatis studio, tum quod ab aliis jam allatas reperimus, prætermittendas duximus.

gneum inauratum. Forma, ut in ceteris Beli simulacris, humana. §. VIII. Dedicata statua confecto bello Judaico altero, cuius finis in annum regni Nebucadnezaris circiter decimum octavum, quem & Græcus expressit interpres, incidit. §. IX. Occasionem fabricandæ statuæ præda illa dives præbuit, quam ex expeditione Syriaca & Judaica reportaverat Nebucadnezar. §. X. Consilio statuam eo dedicavit rex, ut gratum erga Deum sium testaretur animum, propter successum rerum prosperum. Mos veterum offerendi Diis ex præda bellica & nō Divina, seu manubiarum primitias. §. XI. Accessit tamen suasio quoque callida procerum, qui perniciem hac ratione afferre studebant viris Judæis, quos ægre ferebant ad tantum honoris fastigium esse evector. §. XII. Dura, prope quam erecta statua, munita Babylonia urbs, quam Durabam appellat Ptolemaeus: Locanda ad ripam Euphratis australem, haud procul Babylonem, inter austrum & occasum, ubi campus spatiuosus. Judæorum de valle Dura traditio. Babylonem postea transportata videtur statua. §. XIII.

§. I.

VT qui e tenebris densis ac perpetuis in serenæ lucis auram emersit, caliginis, qua circumfusus miser fuerat, merito interdum recordatur: ita gentem quoque christianam respicere subinde decet ad antiquorum temporum infelicitatem, quibus totus pene terrarum orbis errorum, superstitionisque tenebris obtutus jacuit, ac veluti sepultus. Fieri nam-

A. 2

que

que solet ex illa conditionis pristinæ consideratione, ut præsentem felicitatem eo majoris æstimare, eoque gratiore prædicare condiscamus. Ac convenit sane ejusmodi consideratio huic cumprimis temporí, quo lætamur publice de ecclesia, a superstitionis genere vario duobus abhinc sæculis feliciter liberata, & de redditis eidem dogmatis sacrisque purioribus, in *Confessione Augustana* propositis. Qua occasione uti idolatriam gentium pristinam, & imaginum cultum, qui parum absfuit, quin in orbem christianum reductus esset, in universum mecum perpendi: ita speciatim in mentem venit cultus, ei statuæ exhibitus, quam in valle Dura Nebucadnezar rex collocari jufferat, & ab omnibus regni proceribus adorari. De quo simulacro quæ vel certo vel ex conjectura cognosci possunt, paucis si complectenter, facturum me credidi operæ pretium. Ostendere igitur, qua fieri potest brevitate, conabor, *cujus & qualis illa fuerit imago*, porro *quo tempore*, tum *qua occasione*, *quibus de causis quorumve suauis & consiliis*, ac denique, *quo in loco* fuerit posita.

§. II.

Principium ab illa mihi sumendum quæstione est: Ipsiusne regis Nebucadnezaris imago ista fuerit, quemadmodum visum non-

nonnullis est, an vero Dei cuiusdam, quem rex, & cum eo Babylonii omnes, venerantur. Evidenter posterius affirmare nullus dubito, quod crebra in omni illa historia Dei Nebucadnezaris fit mentio, cui cultum ille tunc solemnem exhiberi ab omnibus voluerit: ac præterea triumviri Judaici non eo nomine accusantur, quod regi, sed quod simulacro Dei ejus cultum denegauerint. Imo rex ipse ex eisdem querit a): *Itane vos Deum meum non colitis, & imaginem, quam statui, auream non adoratis?* Respondent illi b), esse ita, nec adductum se ulla ratione iri, ut Deo regis cultum præstent, imaginemque ab eo collocatam adorationis honore prosequantur. Sola in his Dei, nec ulla regis memoria, quam quis omissam crederet, si hunc imago adoranda repræsentasset? Videri quidem possit imago regis aurea ab ejusdem Deo in his distingui; ideoque non male *Dei* vocabulum ad numinis cuiusdam signum, illud autem *imaginis* ad regis referri simulacrum forsitan quis existimaret. At phrases has, *Deum Nebucadnezaris colere, & imaginem auream adorare* ita esse synonymas appearat, ut prior cultum simulacro præstandum generaliter, posterior cultus specialiter exprimat modum. Verbum sc. Chald. פָּלָח, Hebraico עֲבָר significandi potestate respondens,

A 3

dendens,

a) Dan. III. v. 14.

b) v. 14.

dens, cultum divinum omnem, singulasque ad illum spectantes cærimonias comprehendit : סגד vero solum *adorationis* ritum designat. Sensus igitur verborum, quibus negant triumviri, se Deum Nebucadnezaris culturos, & imaginem auream adoratueros, est, ipsos cultum in univerlum nullum Deo Nebucadnezaris esse exhibutros, speciatim vero simulacrum ejusdem non esse poplite flexo, vel prono etiam corpore, honoraturos, aut precibus invocaturos. Patet igitur synonyma esse commata, quoruin posteriori, ut sèpissime fieri observamus in sacris litteris, præsertim vero in libris propheticis, declaratur prius.

§. III.

Ecquis vero ille Nebucadnezaris Deus? Non aliis sane nisi Belus. Primum enim universe novimus, præcipuum Babyloniorum numen istoc appellatum fuisse nomine. Sic Esaias c) & Jeremias d), quando Babyloniorum idola recensent, primum locum בָּלְעָד, assignant, eumque נֵבֶל Nebo ac Merodachō anteponunt : כַּרְעַב בְּלִ קְרֹס נְבוֹ הַר. Incurvatus est Belus, inflexusque Nebo. Cesserunt idola ipsorum (Babyloniorum) reliqua feris ac jumentis pedibus conculcanda. הביש בְּלִ חַת מְרַךְ. הבישו עֲצַבְתָּה חַתּוּ גָלוּלִתָּה. Pudefactus est Belus.

c) Cap. XLVI, 1

d) Cap. L. 2. LI. 44.

*E*t terrore percussus Merodach, pudefacta sunt idola Babelis reliqua, consternataque simulacra omnia. Confer narrationem de Belo Babylonico, quæ in libris extat apocryphis. Idem vero scriptores etiam confirmant exteri. ARRIANVS e) : Αλέξανδρος δὲ παρελθὼν εἰς τὴν Βαβυλῶνα, τὰ ιερά, ἀ Ξέρξης παθεῖσιν, ἀνοικοδομεῖν προσέταξε Βαβυλωνίοις τὰ τε ἄλλα, καὶ τοῦ Βῆλου τὸ ιερὸν, ὃν μάλιστα θεῶν τιμῶσι Βαβυλωνίοι. Alexander Babylonem ingressus, templa, quæ Xerxes subverterat, instaurare Babylonios jussit, & in his templum Beli, quem præcipue deum Babylonii colunt. Idem f) : Εἶναι δὲ τῷ Θεῷ τῷ Βήλῳ πολλὴν μὲν τὴν χώραν αἰνειμένην ἐν τῶν Ασσυρίων βασιλέων, πολὺν δὲ χρυσόν. καὶ ἀπὸ τοῦ πάλαι μὲν τὸν νεών ἐπισκευαζόμενοι, καὶ τὰς θυσίας τῷ Θεῷ θύεσθαι. τότε δὲ τοὺς χαλδαίους τὰ τοῦ Θεοῦ νέμεσθαι, οὐκ ὅντος ἐς ὁ, τι ἀναλαθήσεται τὰ περιγιγνόμενα. Erat autem Belo multum agri ab Assyriis regibus consecratum, & multum quoque auri. Et ex eo olim quidem templum reficiebatur, & sacrificia Deo offerenda comparabantur; tunc vero cum in nullos usus conferrentur anni redditus, quod subversum esset templum,

A 4

Chal-

e) *De Expedit. Alexandri L. III.* p. 127. edit. Gronov.f) *Lib. VIII.* p. 297.

Chaldæis id omne, quod Belo sacrum erat, cœdebat. DIODORVS Siculus g): Μετὰ δὲ ταῦτα ἐν μέσῃ τῇ πόλει κατεσκεύασεν ἵερὸν Δίος, ὃν οὐαλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον. *In media deinceps urbe Jovi, quem Belum Babylonii vocitanti, templum ædificavit Semiramis.* AGATHIAS h): βῆλον μὲν τὸν Δία, καὶ ἄλλως Ιοὺς ἄλλους ἐνάλουν. *Jovem quidem, seu præcipuum Deum, appellabant Persæ Belum & aliter alios.* XIPHILINVS i): ὁ Ζεὺς, ὁ βῆλος ἐν μαζόμενος, καὶ ἐν τῇ Απαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος. *Jupiter, qui Belus vocatur, & Apameæ in Syria colitur.* Quibus ex locis duo sunt, quæ discimus. Primum, Beli cultum intra solius Babyloniarum limites non substituisse, sed ulterius, ad regiones quoque vicinas, dimanasse. Deinde, opinatos esse Græcos, eundem Deum quem Jovem ipsi appellabant, orientis gentibus Beli nomine nuncupari. Scilicet cum supremum numen non nisi unum crederent, idemque Jovem statuerent, facile sibi persuadebant, quemcunque Deum gentes aliæ tanquam omnium excellentissimum eminentissimumque colerent, eum a Jove neutriquam esse diversum, licet nomen gereret aliud. Vnde simul confirmatur, quod antea dixi-

g) L. II. c. IX. p. 69.

h) Hist. L. II. citante JAC. PERIZONIO in Origin. Babyl. p. 60.

i) In Caracalla.

diximus, Belum numen princeps in oriente, speciatim in Babylonia, fuisse habitum. Unicum addo PLINII testimonium, quo Belum ille *sacratissimum* vocat *Affyriorum Deum* k). Ex quo constat, Affyrios quoque Beli cultum adoprasse. Quod si ergo Belo honorem præcipuum detulere Babylonii, cui quæso, potius, quam illi, cultum suum rex addixerit? Sed omnem plane hac de re dubitationem verba tollunt ipsius Nebucadnezaris 1) וְעַד אֶחָרִין עַרְלָכְתָּא דְנֵיאָל רְדֵשָׁה כְּשַׁבְּתָא אֱלֹהִי Postremo accessit ad me Daniel, cui nomen Beltsazari, secundum nomen Dei mei. Satis enim hinc perspicuum, Nebucadnezarem illum sibi Deum proprium quasi fecisse, cuius nomen illud Beltsazaris referret. Ratio autem hic primæ tantum habetur syllabæ, *Belt*, (nam *Sazar*, appellatio est accessoria, *thesaurarium* fortasse significans, ut ita integrum *Beltsazar thesauro Beli*). *Beltis* præfectum notet,) cui, si postremam demferis litteram, ipsum tibi supererit *Bel*. Litteram vero T nomini isti interdum additam suspicor ex voce *Beltis*, quo nomine reginam Babyloniæ antiquissimam appellatam reperimus apud EVSEBIVM m),

A 5

ubi

k) *Hist. Nat.* L. XXXVII. c. 10.l) *Dan.* IV. 5.m) *Præpar. Evang.* IX. 41. vid. PERIZONIVM loc. cit.

ubi a Nebucadnezare Belus memoratur, simul tanquam *Deus & progenitor* ipsius, cum regina *Belti*: ὅτε Βῆλος ὁ ἔμος πρόγονος, ἥτε Βασίλεια βῆλτις. Qua occasione non possum quin observem, solenne id fuisse Babyloniiis, ut viris principibus ac nobilioribus nomina darent ex Diis, ita tamen, ut divino nomini aliud quoddam vel subjungerent, vel præfigerent. Sic ipse Nebucadnezar nec non Nebusaradan, satellitum præfectus, ex *Nebo*, quem Jo. SELDENVS n) haud alium putat Deum a Chamos & Belo phegorio: Merodach, Mardocempadus & Euilmerodach ex *Merodacho*, numine Babyloniorum alio, sua tulerunt nomina.

§. IV.

Quod si vero de Belo, quis fuerit, quaeratur, & utrum initio statim pro Deo, seu natura excellentiori, sit habitus, uti corporibus quibusdam accidit cœlestibus apud gentes nonnullas veteres; an, inter homines pri-
mum verius, meritis suis, & quasi per gra-
dus, ad illum honorem ascenderit: illis af-
fentiendum esse arbitror, qui regem censem
antiquum Babyloniorum, eundemque urbis
simul

cit. p. 94. qui *Beltis* vocem ex feminino Chaldaico f. Syriaco, vel Phœnicio τοῦ *Bēl*, בָּעֵל, for-
matam credit, בָּעֵל תָּא.

n) De *Dis Syris* Syntagm. II. c. 12.

simul, vel arcis faltem, conditorem, quem grata posteritas, pro communi fere gentium priscarum more, Deorum numero adscripte-
rit, divinisque honoribus sit prosecuta ; tum,
quod imperio olim feliciter, ac magno sub-
jectorum cum emolumento, præfuisse, tum,
quod urbis nobilissimæ, maximamque per to-
tum fere orbem tamam consecutæ, primus
auctor, tum denique, quod inventor exti-
tisset fidelis scientiæ, ut PLINIVS o) lo-
quitur. AMMIANVS MARCELLINVS
p) : Babylon, cuius mænia bitumine Semi-
ramis struxit ; arcem enim antiquissimus rex
condidit Belus. Omitto testimonia veterum
alia, pridem viris diligentissimis collecta, no-
minatim Jo. SELDENO q), GERH. JOA.
VOSSIOR r), JOA. MARSHAMO s),
SAMVELI BOCHARTO t), & JAC.
PERIZONIO u), qui simul de nomine
Beli, ac de Belis variis magno studio sunt
commentati. Mei instituti ratio non pati-
tur, ut longus his in rebus sim, vel & ori-
gines idolatriæ Babylonicae operosius in-
vestigem. Nam propositum mihi solum est
in

o) Hist. Nat. Lib. IV. c. 46.

p) Libr. XXIII.

q) De Dis Syris synt. II. c. 1.

r) Theol. Gent. L. I. c. 24. &c.

s) In Canone Chron. p. 507.

t) In Phaleg. c. XIV. sqq.

u) In Originibus Babyl. p. 93. sqq.

in imaginem inquirere, Belo a Nebucadnezare positam confecratamque. Vnicum tamen observabo, de quo equidem haud scio quemquam adhuc cogitasse. Videri scilicet, Babylonem urbem ex conditore suo fuisse nominatam. Quod si enim nomen urbis forma exprimas Hebraica, בָּבֶל, Babel, syllaba posterior ipsum illud Beli referet. Quid igitur, si בָּבֶל coaluisse dicamus ex vocibus בָּה בָּל, in ea Belus est sive regnat, Beli hæc urbs est? Neque enim adeo insolens Hebræis atque Chaldaïs est, ut ex præfixo ac nomine quodam nomen efficiant proprium. Verbi caufsa, בְּעֵש, Boas, satentur omnes compositum esse ex בָּו, in eo, & עֵשׂ, robur, ut ita Boas virum sonet, in quo robur est, robustum. Talem contractionem in voce בָּבֶל ipse quoque HILLERV^s x) agnoscit: quamquam is posteriorem syllabam ex verbo Hebraico בָּבֶל, confudit, ducentam esse existimat. Conciliat vero conjecturæ huic mœæ aliquam veri speciem consuetudo, toti fere orienti antiquissimo ævo communis, qua urbibus nomina imponi solebant ex conditoribus: cuius exempla Gen. X. extant plurima. Mirum ergo, nisi idem Babyloni contigisset, urbi adeo claræ. Quia vero idem nomen affine admodum est verbo בָּבֶל, hinc scriptor facer y) Babelem jure optimo sic vocotam ait

x) In Onomastico sacro p. 757.

y) Gen. XI. 9.

ait, quod nomen ejus non abludat a *confundendi* verbo, aptumque proinde sit ad conservandam memoriam confusioneis, inter audaces turris exstructores divinitus olim extitae. Etymologia non dissimilis illa est, quando Caini & Noachi nomina, קָנָה & נֹחַ, referuntur ad verba קְנַתְהָ & נִזְמָה z), cum secundum linguæ analogiam ex verbis נָפָר & נָנוּ descendant, sicuti pridem monuere sagaciores Philologi. Sed peritorum judicio hoc quicquid est conjecturæ lubens permitto.

§. V.

Jam Deo huic suo uti templum consecrunt Babylonii, ita statuas quoque dedicare cœnseverunt. De templo Beli HERODOTVS a): Εν δὲ τῷ ἑτέρῳ Διὸς Βῆλου ἵερὸν χαλκόπιλον. καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔτι ἐὸν, δύο σαδιῶν, πάντη ἐὸν τετράγωνον. In altero vero muro Jovis Beli templum aereis portis, quod mea etiam nunc ætate existit, duorum undecunque stadiorum amplitudine, figura quadrata. Meminerunt ejusdem templi PAVSANIAS b) quoque atque PLINIVS c): copiosius vero ARRIANVS d): ὁ γὰρ τοῦ Βῆλου νεώς ἐν μέσῃ

z) Gen. IV. l. 2. V. 29.

a) L. I. c. 181.

b) In Arcadicis c. 33. cf. Attica ejusd. c. 16.

c) Hist. Nat. Lib. VI. c. 26.

d) De expedit. Alex. M. L. VII. p. 296.

μέση τῇ πόλει ἢν τῶν Βαθυλανίων, μεγέθει τε μέγιστος καὶ ἐπ πλίνθου ὁπτῆς ἐν αἰσφάλτῳ ἡγμοσμένης. Τοῦτον τὸν νεών, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερά Ἰα¹ Βαθυλανίων, ἔρεχης κατέγναψεν ὅτε ἐν τῇς Ελλάδος ὁπίσω ἀπενόσθηεν. Αλέξανδρος δὲ ἐν νῷ εἶχεν αὐτοκαδομεῖν. *Beli templum in media Babyloniorum urbe situm erat, magnitudine præclarum, atque ex latere coctili, bitumine interlito, coagmentatum.* Quod templum, quemadmodum & cetera Babyloniorum loca sacra, Xerxes subverterat, quum ex Græcia reverteretur. Alexander vero in animo habebat templum restaurare. Et DIODORVS Siculus e): Μετὰ δὲ ταῦτα ἐν μέσῃ τῇ πόλει κατεσκεύασεν ἱερὸν Διὸς, ὃν καλοῦσιν εἰς Βαθυλάνιοι, καθάπερ εἰρήναμεν, Βῆλον. - - Όμολογεῖται δ' ὑψηλὸν γεγενῆθε καθ' ὑπερβολὴν, καὶ τοὺς χαλδαῖος ἐν αὐτῷ τὰς τῶν ἄρχων πεποιηθαὶ παρατηρήσεις, ἀκείθως Θεωρουμένων τῶν τε ἀνατολῶν καὶ δύσεων, διὰ τὸ τοῦ κατασκευάσματος ὑψος. Τῆς δ' ὅλης ὁποδομίας ἐξ αἰσφάλτου καὶ πλίνθου πεφιλοτεχνημένης πολυτελῶς. *In media deinceps urbe Jovi (quem Belum, ut diximus, Babylonii vocant) templum ædificavit.* - - Summæ altitudinis fuisse, & hujus adiumento Chaldaeos, si-
derum

e) L. II. c. 9.

derum illic, contemplationi vacantes, ortus & occasus exacte notasse constat. Totum opus ex lateribus & bitumine magno sumtu & ingenio fabricatum est. Divitiae templi quanta fuerint, ex Arriano ante jam §. III. acceperimus. Nebucadnezareni illud mirifice ornasse, ex Beroto cognoscimus, qui f) αὐτὸς, inquit, ὑπὸ τῶν ἐν τῷ πολέμου λαφύρων τό, τε τοῦ βῆλου ιερὸν καὶ τὰ λοιπὰ ιοσμήτας φιλοτίμως. Nabuchodonosorus de belli manubiis Beli templum aliaque largiter ornavit. Digna cum primis admiratione cum ob magnitudinem & altitudinem, tum ob structuram artificiosam, turris illa erat magnifica, quæ ex templo hoc medio assurgebat, HERODO T O g) descripta pluribus.

§. VI.

Statuis autem templum hoc exornatum fuisse ingentibus atque splendidis HERODOTVS h) testis est : Ἐσι δὲ τοῦ ἐν βαθυλῶνι ιερῷ καὶ ἄλλος κάτω υἱὸς, ἐνθα ἄγαλμα μέγα τοῦ Διὸς ἐν κατήμενον χεύσεον. καὶ οἱ τεάπεξα μεγάλη παρακεέται χευστέη, καὶ τὸ βάθεον οἱ καὶ ὁ θρόνος χεύσεος ἐσι καὶ, ὡς ἔλεγον οἱ χαλδαῖοι, ταλάντων ὀκτακοσίων χευσίου πεποίηται ταῦτα. Porro in Baby-

f) Ap. JOSEPHVM *Antiq. Judaic.* L. X. c. II. p. 537. edit. Havercamp.

g) L. I. c. 181. h) ibid. cap. 183.

Babylonis templo aliud etiam est facellum inferius, quod magnum habet Jovis (Beli) simulacrum sedens, idque aureum, & illi magna mensa adiacet aurea, cuius scannum & sella sunt ex auro: adeo, ut Chaldaeoi octingentorum talentorum auri opus aestimant. Et paulo post: ἦν δὲ ἐν τῷ τεμένει τούτῳ ἔτι τὸν χρόνον ἐπεῖνον καὶ ἀνδρὶς δυώδεκα πηχέων, χεύσεος, σεργεός. Erat in hoc templo etiamdum illo tempore statua duodecim cubitorum e solidō auro. DIODORVS Siculus i): ἐπ' ἄκρας τῆς αὐαβίστεως Ιερά κατεσκένευσεν αὐγάλματα χευστὰ σφυρηλατα, Διὸς, Ήρας, Ρέας. Τούτων δὲ τὸ μὲν τοῦ Διὸς ἐτηκός ἦν καὶ διαβεβηκός, ὑπάρχον ποδῶν τεσσαράκοντα τὸ μῆκος, σαθμὸν δὲ εἶχε χιλίων ταλάντων βαθυλανίων. In summo adscensu tres ex auro statuas malleo ductas, Jovis, Junonis & Rhei erexit Semiramis. Jovis imago pedibus insistenti, ac veluti ambulanti, similis erat, pedum XL. longitudine, & pondere M talentorum Babyloniorum.

§. VII.

Intelligimus ex testimoniiis hisce, Babylonios iam tum antiquissimos statuas Belo suo posuisse, non staturæ modo, sed pretii etiam ingentis. Vnde ratio reddi facile poterit,
quare

i) loc. cit.

quare Nebucadnezar, cum eundem Deum simulacro quodam honorare decrevisset, adeo procerum atque pretiosum illud fieri curaverit. Scilicet sequendum sibi ea in re esse duxit majorum morem, inde, ut opinor, natum, quod in Belo Solem simul venerari vellent, in quo animam Regis istius optime meriti commorari nulli dubitabant, & quod astrum ipsum quoque divino honore judicabant dignissimum. Nempe persuasum habebant Babylonii, uti T H. STANLEIVS k) ostendit, animos, postquam bene operam suam corpori accommodassent, in sedem lucidam, Solis potissimum plenam, unde delapsi essent, redire. Illos igitur honoribus divinis affecturi, cultum simul adjungebant Solis, quem pariter pro summo habebant numine, testantibus MACROBIO l) & M A I M O N I D E m). Eodem igitur modo Babyloniorum in religione res sese habuit ac apud Græcos, quos in Apolline Solem simul adorasse satis constat. Et quemadmodum hac de causa factum apud Græcos, ut Sol Apollinis five Phœbi appellaretur nomine: ita idem astrum apud Babylonios quoque Bel

Pars VII.

B

nun-

k) In *Histor. Philos. Orient.* L. I. sect. II. c. 10.

l) *Saturnaliorum* L. I. c. 21. 23.

m) In *More Nevochim* P. III. cap. 29. & de *idelolatria* haud longe a principio.

nuncupari suevit. SERVIVS n): *Apud Assyrios* (quo nomine apud Scriptores Latinos babylonii quoque interdum comprehenduntur) *Bel dicitur, quadam sacrorum ratione, & Saturnus & Sol.* Quamobrem magnitudinem signorum Belo consecratorum ad Solem spectasse existimo, qui astra, quotquot cernimus, omnia magnitudine multum superat; materiam vero, aurum puta, Solis repræsentasse speciem ac splendorem; formam denique, humanam illam, ipsius Beli, regis antiqui, exhibuisse ideam. Ut autem magnitudinem simulacrorum Beli ad Solem pertinuisse credam, consuetudo me movet aliarum gentium, quæ Soli signa posuerunt miræ altitudinis. Ita Rhodi colossus, opus illud stupendum, Soli facer erat. PLINIVS o): *Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lysippi supradicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti, quam pleræque statuæ. Vasti specus hiant defractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum, trecentis talen-*

n) Ad VIRGILII Æn. I. p. 539.

o) Hist. Nat. L. XXXIV. 7.

lentis, quæ contulerant, ex apparatu regis Demetrii relicto, more tedium. Sic Romani quoque colossum a Zenodoro CX. pedum longitudine, Neronis in honorem factum, destinatumque illius principis simulacrum, Solis venerationi dicarunt, damnatis sceleribus ejusdem principis, referente iterum PLINIO p). Deinde materia Soli effigiendo vix aprior ulla videbatur, quam aurum, quippe specie externa & puritate Soli, præfertim orienti, simillimum: unde Græci Solēm *χρυσοκόμην*, i. e. aureo capillario insignem appellare assolent; Latini *aureum*, *auricomum*, *rutilantem*, *purum* &c. Quod autem formam humanam signa Beli retulerint apud Babylonios, ex eo clarum est, quod Græci illa *ἄγαλματα τοῦ Διος*, sive *simulacra* appellant *Jovis* q), quem non nisi virili forma effungi suevisse, nemo ignorat.

§. VIII.

Sed ut ad Nebucadnezaris veniamus imaginem, Belo constitutam, nemo forsitan magnitudinem eius stupendam mirabitur, qui quæ dicta modo a nobis sunt cogiraverit. Nempe opus vere colosseum fabricari rex eo curavit, quia sacrum illud esse debebat non Belo solum, verum etiam Soli, Deo

B 2

ma-

p) Loc. cit. sub fin. cap.

q) Vid. locis cit. & Herodotum & Diod. Sic.

maximo, cuius cultum pridem miscuerant Babylonii cum illo Beli. Tribuitur simulacro altitudo LX. cubitorum, latitudo cubitorum VI. Intelliguntur autem procul onini dubio cubiti Babylonici, quinque palmos longi. Altitudinem si inde a pedibus ipsius simulacri (quod forma humana præditum fuisse tantisper sumimus) ad caput usque metiaris, latitudinem vero eam capias, quæ corporis est medii, omni sane proportione caruisset signum, quum experientia doceat, altitudinem nunquam superare latitudinem sextuplam macilentissimi etiam hominis, observante HVMPHREDO PRIDEAVX r.). Oportet igitur Danielem in altitudinis dimensione baseos quoque, five stylobatæ, rationem habuisse, ut ita imago simul cum stylobate illam proceritatem confecerit. Parum igitur absuit, quin ea altitudinem colossi Rhodii, ex Plinio §. præced. memorata, æquasset. Aurum ad imaginem ab eodem rege adhibitum, quod ita moris esset, ex ratione §. præc. indicata. Neque tamen crediderim, solidum fuisse opus, marmorei vel lapidei ad instar, sed cavum potius extitisse arbitror, perinde ac colossum Rhodium, quem magnæ molis saxa intus habuisse itidem ex Plinio modo didicimus. Fortassis etiam ex ligno fabricatum & inauratum fuit simu-

r) In Connexione V. & N. T. cœt. P. I. L. II. p. 128.

simulacrum: cuiusmodi statua itidem aureæ nomine venire solet. Ad formam denique quod attinet, dubitari vix potest, humana fuisse, quia hac alia etiam gaudebant Beli simulacra, quæ in templo ejus Babylone spectabantur s).

§. IX.

De *tempore*, quo simulacrum illud, summa cum pompa exquisitusque cum cærimoniis, dedicavit Nebucadnezar, et si filet Daniel, potest tamen illud ex eo quodammodo colligi, quod pacata tunc in regno Nebucadnezaris fuisse oporteat omnia, cum solemnitas illa perageretur. Evocaverat enim rex, consecrationis istius causa, ministros, proceres, duces, præfectosque regni omnes: id quod secure facere non potuisserunt, si quod ab hoste aliquo metueret, habuissent. Quando igitur inde ab initio regni ad finitum usque bellum Judaicum alterum, quo Hierosolymorum urbs penitus tandem deleta, & respubl. Judæorum extincta fuit, bella sere perpetua cum Ægyptiis, Syris, Phoenicibus, Judæis, Arabibus atque Persis gesserat Nebucadnezar: probabile hinc evadit, eo, quod diximus, bello, ad finem feliciter perducto, constitutam fuisse imaginem: licet, quo regni Nebucadnezaris anno

B 3

id

s) Vid. loca *Herod.* & *Diodori* Sic. citata.

id contigerit, accurate definiri vix queat. Auctor versionis Græcæ annum quidem ponit decimum octavum, ἔτους inquit, ὀντοναιδεῖτου Ναβουχοδονόσορ cet. Sed nulla ejus anni in textu Chaldaico nunc est memoria. Aut igitur codice usus fuit interpres, qui numerum istum exprimeret, ut loca sunt alia longe plurima, in quibus Alexandrinos illos aliam lectionem, quam quæ hodiè extat, secutos esse liquido appetat; aut ex ingenio suo vel interpres ipse textui addidit, quemadmodum nec additionum talium rara sunt exempla; aut in textum denique idem numerus irrepsit ex margine, cui quispiam adjecterat, quod rem, de qua capite isto agitur, ad illum Nebucadnezaris annum pertinere existimaret. Quicquid hujus rei fit, nisi ab ipsius Danielis manu profectus numerus iste est, non adeo male existimavit five interpres, five glossator, quando solemnitatem istam ad annum illum duxit referendam. Temporum enim rationem exacte si putaverimus, finem expeditionum Syriae, Judaicæ, & Ægyptiacæ in annum circiter istum incidere deprehendemus. Ac poterat sane ex illo tempore quiete Nebucadnezar perfaci exoptata, hostibus perdomitis oppressisque.

§. X.

Porro occasionem fabricandæ statuæ adeo pre-

pretiosæ præbuuisse videtur præda illa dives, quam ex expeditionibus istis domum secum reportaverat Nebucadnezar. Nam ut de priuatorum nihil nunc dicam opibus, quas abstulisse regem quis dubitet? non illud modo immensa opulentia templum Hierosolymis expilavit, ita, ut vasæ ænea, argentea & aurea singula, thesaurosque universos inde abduxerit; sed regis quoque atque principum gazam omnem Babylonem deportari jussit t). Neque magis eum Syrorum pepercisse divitiis facile est judicatu. Tot igitur spoliis locupletato abunde suppetuit, unde monumentum conficeret sacrum, molis, ponderis pretiique maximi; fuit etiam, quod ad conficiendum invitaret.

§. XI.

Confilio vero statuam illam dedicasse videatur Nebucadnezar eo, ut gratum erga Deum suum publice testatum faceret animum, propter exoptatum expeditionum, unde redux factus fuerat, successum. Magna semper apud gentes antiquas habita fuit pietatis significatio, si statua quædam nova Deo alicui poneretur: quæ quo esset magnificentior, eo magis Deum honorari fuit creditum. Hinc Nebucadnezar ostensurus, quantopere numen suum veneraretur, & quam grato

B 4

bene-

t) 2. Reg. XXV, 13. cet. 2. Chron. XXXVI, 18.

beneficium illud nuperum agnosceret animo, ingentem ei conflari atque collocari curavit statuam, non dubitans scilicet, se numeris ope sui tam præclaris potitum esse victoriis. Itaque simile fere fuit Nebucadne-
zaris institutum ei veterum mori, quo ex præda bellica ἀνεῳθίνα h. e. manubiarum pri-
mitiæ Diis offerebantur, quoniam æquissi-
mum videbatur, ut, qui ad victoriam ope
sua contulissent plurimum, partem quoque
fructus, e victoria redundantis, perciperent.
Ea enim erat gentium pietas, ut fortunam
secundam omnem Diis referrent acceptam.
XENOPHON u) de Græcis adversus Drilas
profectis : Ενταῦθα δὲ λαμβάνουσι τὸ διὰ τῶν
αἰχμαλώτων γενόμενον ἀργύριον, καὶ τὴν δεκάτην, ἣν τῷ
Απόλλωνι ἔξειλον, καὶ τῇ Ἐφεσίᾳ Αρτέμιδι, διέλασσον
οἱ σεραπιοὶ τὸ μέρος ἄνατος Φυλάσσοντοις θεοῖς.
Ibidem pecuniam, quam ex captivis redege-
rant, partiuntur : atque etiam decumam,
quam Apollini & Ephesiæ Dianaæ exemerant,
ita duces distribuunt, ut quilibet ipsorum hisce
Diis aliquam partem eius adservaret. Idem
de Cyro x) : Πρῶτον μὲν τοὺς Μάγους παλέσσας,
ως δραυναλῶτου τῆς πόλεως ὄντης, ἀνεῳθήνα τοῖς
θεοῖς καὶ τεμένη ἐκέλευσεν ἔξελειν. Primum ar-
cessit-

u) *Expedit. Cyri L. V.* p. m. 349.

x) *Cyrop. L. VII.* p. 192.

cessitis Magis, quia bello capta urbs esset, ius-
fit, ut Diis primitiae manubiarum & fana se-
ligerentur. Et de Agesilao y): Καὶ τὴν μὲν τῶν
Φίλων χώραν ἀδίκωτον παρέχων, τὴν δὲ τῶν πολεμί-
ων ὅντων παρπόνμενος, ὡς εὐ δυοῖν ἐτοῖν πλέον τῶν
ἐκατὸν παλάντων τῷ Θεῷ εὐ Δελφοῖς δεκάτην απο-
θῆσαι. Efficiebat etiam, ut amicorum ager
minime vastaretur, ipse de hostili fructus eos
percepit, ut intra biennium decumam Deo Del-
phico consecraret, C. talentis ampliorem. De
Atheniensibus DIODORVS z): οἱ δὲ δῆμοις τῶν
Αθηναίων δεκάτην ἔξελόμενος ἐκ τῶν λαφύρων, αὐτέθη-
κε τῷ Θεῷ. Tum populus Atheniensis decimam, e
spoliis delectam, Deo consecravit. FLORVS a): Ea
denique visa est prædæ magnitudo, cuius deci-
mæ Apollini Pythio mitterentur: universus-
que populus Romanus ad direptionem urbis
vocaretur. Et de Abrahamo sacræ testantur
litteræ b), quod ex omni, sc. לְשׁוֹן, præda, de-
cimam dederit Melchisedeco, supremi numi-
nis sacerdoti. Sic & Israëlitarum principes
Midianitarum e spoliis Deo non nihil obtule-
runt c). Ac nisi istis ex exemplis constaret,
antiquam illam fuisse orientis consuetudi-
nem; idem tamen e Cyri mandato, quod e

B 5

Xeno-

y) Orat. de Agesilao p. 657.

z) Bibl. Hist. L. XI. c. 62. p. 274.

a) Lib. I. c. 12.

b) Gen. XIV, 20.

c) Num. XXXI, 50.

Xenophonte paulo ante retulimus, recte coligeretur. Nam ita conceptum illud est, ut rem videatur imperare non noviter institutam, sed usū pridem receptam d).

§. XII.

Tametsi vero consuetudini ea in re satisficerit Nebucadnezar; tamen, quod non crudam prædam, sed statuam ex auro conflamatam Deo suo dedicavit, non sine fuatione procerum & aulicorum callida videtur factum. Invidia hi flagrabant adversus Danielis socios, quos ad illum honoris gradum videbant enectos, quem ipsi vehementer appetebant. Res illis videbatur intolerabilis, homines extraneos, & exules quidem, summo antea habitos despectui, dignitates indigenis, & illustri loco natis, veluti præripere. Studebant igitur perniciem illis afferre quomodounque possent. Vi autem aperta agebre quia non poterant, quod rex viros illos maxima complecteretur gratia, infidæ vitæ sunt admovendæ. Ac latis quidem callide iudicarunt, nulla ratione facilius perdi posse viros, vitæ innocentia conspicuos, quam si, ut mandatum aliquod regium violarent, (capitale hoc in oriente habitum fuit semper) efficeretur. Aptum huic scopo visum est

man-

d) Cf. Jo. CLERICVM in notis ad Dissert. Seldeni
de decimis pag. 552.

mandatum tale, quo cives regni omnes ad honores divinos, imaginis cuidam præstandos, adigerentur. Huic enim Judæos, idolatriæ inimicissimos, parituros minime esse haud ignorabant. Suadent igitur, ut rex, decimarum loco, simulacrum aliquod novum Deo suo constituat, atque, ut omnes illud adoratione initient solenni, edicat. Obsequitur rex, infidiarum ignarus. Infidatores vero, dum consecratio perageretur, nunquam ex oculis dimittunt Sadrachum, Mesachum & Abednegonem: quos quando immotos stare vident, nullamque imagini exhibere reverentiam, jam voti sese compotes factos existimant, gaudioque pleni regem adeunt, ac viros optimos inobedientia incusant. Similes proinde hæc infidilia illis, quas Daniel e) postea expertus est a Darii Medi aulicis. Mirum vero, Danielem quoque ipsum non fuisse accusatum. nam ab eo quidem adoratam fuisse imaginem, nemo, cui ejus non ignota singularis pietas & religio est, facile sibi persuadebit. Itaque vel absuisse eo tempore oportet Danielem, sive Babylone, ac forsitan infidiorum suauitu, relictum, administrandæ, dum rex abeisset, civitatis caussa; sive alio etiam missum ad negotia regia procuranda. Fortassis quoque Danielem ipsum petere periculosem censuere Ju-

dæo-

c) Dan. VI, 5. sqq.

dæorum hostes, quippe non ignorantes, summa illum apud regem valere auctoritate.

§. XIII.

Locum, in quo statutum fuit simulacrum, בְּקָעַת דָּרָא i. e. vallem, sive planitatem Dura appellat Daniel. Sita Dura בְּמִרְינָה כְּבֵן in præfectura Babylonica, quam ab ortu Tigris fluvius, a septemtrione Mesopotamia, ab occasu Arabia deserta, & a meridie sinus Persicus, simul cum Arabia felice, terminabant. STEPHANVS f) de urbe ista: Δοῦρα πόλις Μεσοποταμίας, ᾧς Πολύβιος πέμπτην. Respicit nempe Stephanus ad hæc POLYBII g): Καὶ τὴν μὲν Παραποταμίαν μέχει πόλεως Ευρώπου κατέχει, τὴν δὲ Μεσοποταμίαν ἡώς Δούρων. Et Parapotamiam quidem, sive regionem ad amnem sitam, usque ad Europum urbem occupavit (Molo): Mesopotamiam vero, s. interamnen regionem, usque ad Dura. Meminit idem scriptor urbis hujus etiam alibi h) his verbis: Αντίοχος δὲ συνεπισάμενος πολιορκίαν περὶ τὴν καλουμένην πόλιν Δοῦρα, καὶ περάνειν οὐδὲν δυνάμενος, διά τε τὴν ὄχυρότητα τοῦ τόπου καὶ γὰς τῶν περὶ Νικόλαον παραβολείας. Antiochus interim urbem Dura premebat obsidione: cuius ince-

f) Lib. de Vrb. & pop. p. 244.

g) Lib. V. c. 48.

h) Ljb. cit. c. 66.

pti quum exitum nullum videret, (nam & locus erat natura munitus, & obfessis subinde opem ferebat Nicolaus) &c. Quæ sane munitione fuisse locum nos docent. Ac recte credo statuere commentatorem Stephani doctissimum, TH. de PINEDO, Dura ipsissimam urbem esse, quæ PTOLEMÆO i) dicuntur Duraba, & juxta Euphratis fluvii partem locatur. Situs cerre congruit, ut ex ipsis patet Ptolemæi verbis: Παρὰ δὲ τοῦ Ευφράτου ποταμοῦ μέρος ἡδε Ιδικάρα, Δούραθα. Juxta Euphratis fluvii partem, (cui Babylonia ab austro adiacet) hæ: Idicara, Duraba. CELLARIUS k) in Mesopotamia ponit, quam Euphrates fluvius a Babyloniam, sicuti notum est, dividebat. Secundum Ptolemæum vero ad Babyloniam potius referenda erat. Nam in hujus quidem urbibus Durabam enumerat geographus. Collocari igitur illam in tabulis oportebit ad ripam Euphratis australem, non ad septentrionalem, quod fecit Cellarius. Fefellit hunc procul dubio, quod Polybius, uti modo accepimus, Melonem Mesopotamiam omnem occupasse resert usque ad urbem Dura. Quæ post Stephanum Byzantium sic accepit diligenter Cellarius, quasi Dura in ipsa posita esse Mesopotamia significasset Polybius. At enim

i) Geogr. I. V. c. 20.

k) Notit. orbis antiqui P. II. p. 717.

enim ex Polybii verbis non satis tuto id colligitur, quippe quæ hunc commode ferunt sensum: Molonem Mesopotamiam usque ad dura, h. e. regionem illam universam occupasse, ita ut ad extrema ejus australia, ubi in littore Euphratis opposito urbs Dura sit, etiam penetraverit: intactum reliquisse nihil, sed ad fines usque Mesopotamiæ pervenisse, in quibus Dura. Longe igitur magis ptobo illum situm, qui in tabulis Ptolemaicis urbi eidem est assignatus, videlicet cis Euphratem, sive ad littus fluvii australe. Quocirca Babylone urbe non adeo longe abfuere Dura, sive Duraba, occidentem versus, vel inter occasum potius & meridiem. Juxta hanc igitur urbem in valle quadam, vel planicie (nam hanc quoque significare potest vox בקעה) imaginem erexit Nebucadnezar ea, ut existimo, de caussa, quod locus esset maxime aptus ad suscipienda consecrationis solemnia, quippe spatiosus atque patentissimus, ut multitudinem fere infinitam, quam dedicationis caussa istuc confluere oportebat, posset capere. Recordari hic subit, extare Judæorum traditionem l), in valle urbis Dura mortuos illos in vitam esse revocatos, de quibus Ezechiel Propheta m). Hanc inde opinor pro-

l) In *Sanhedrin*, fol. 92. 2. & in *Targum Cant. Cant.* c. VII. v. 10.

m) Cap. XXXVII.

profectam, quod locum, in quo visio ista sibi obtigerit, בקעה vocat Ezechiel, & quod Chanania, Mischael & Asaria, quorum fata totius gentis Israeliticæ fortunam præfigurasse fuit creditum, præsentissimo mortis periculo erepti ibidem fuere, ac vitæ quasi rediti. Quod reliquum est, dubito relictam istic loci esse statuam, sed Babylonem potius arbitror postea, quam inaugurata esset, fuisse deportatam, & in Beli templo repositam, tanquam monumentum pietatis Nebucadnezaris perpetuum.

OBSERVATIO II.
DE PELAIM, QVOD SIT
PELVSIUM

Ad Thren. I. 9.

לֹא זְמַרְתָּ אֶחָדָה וְהַרְדֵּךְ פְּלָאִם אֵין
מְנַחֵּם לְהָ.

Non memor fuit Hierosolymorum urbs finis sui, dum descendit Pelaim, unde nullus ei obtigit consolator.

CONSPECTVS.

Erratum interdum ab interpretibus S. S. in eo fuit, quod nomina propria pro appellativis habuerunt. Quod exemplis ostenditur. §. I. פְּלָאִים non plurale est ex פָּלָאָן, nec habet vim adverbii, nec accipiendo cum ellipsi nominis §. II. Locum potius nomen est, quo se se contulerunt Judæi, opis impetranda causa. Petierunt vero a Pharaone

Cko-

Chophra, seu Aprie, rege Ägyptiorum potente. Descendendi verbum פְּלָיָם loci in Ägypto nomen, siti quidem, uti ex Jer. XLVI. 14. seqq. colligitur, (qui locus pluribus simul declaratur) non longe a Daphnis Pelusiaco, ubi arcem habuit Apries, unde ille Pelusium, propugnaculum firmissimum, saepius videtur committisse. §. §. IV, V. Per Pelaim igitur designatur Pelusium. Situs hujus urbis et ambitus. Nomen neque à πόλει τῇ πηλᾳ, seu luto, neque a Peleo, Achillis patre, habuit, sed ex viro quodam Ägyptio illustri, qui vel condidit urbem, vel alio modo bene de illa meritus est. Graecorum de nomine error unde? §. VI. Pelusium apud Ezechielem vocatur Πέλις. Urbes quædam pluribus nominibus insignes. Ezechiel nomine in Babylonis usitato, Jeremias vero eo, quod in Ägyptiis receptum erat, usus est. §. VII. Contextus operationis integer exponitur, eaque occasione Thren. I, 19. IV, 17. illustrantur. §. VIII.

§. I.

IN erroribus, in quos prolabi contigit sacrarum litterarum interpretes, non minimus hic est, quando appellationes personarum, locorum cet. proprias habuere pro communibus. Quid enim, quæso, aliud Vulgati e c. *paradisum* produxit voluptatis? a) quid *mulos* genuit *Anæ*? b) quid *vulpes* *Simsonis*? c) nisi quæstæ in nominibus propriis regio-

2) Gen. II, 7.

b) Gen. XXXVI, 24.

c) Jud. XV, 4. Ostendam, Deo favente, alias, *Schuanum* in historia Simsonis esse Sualitas.

regionis, gentis, civitatisque propriis *Eden*, *Hajjemim*, s. *Hemim*, quod idem ac *Emin*, & *Schualim* appellativorum significations?

d) Augere, ut equidem puto, hanc errorum classem præsens potest Jeremiæ locus, in quo cum vox פלאים, *pela'im*, adpellative adhuc exposita sit, longe credo aberratum fuisse a vatis divini mente. Nam loci utique nomen esse videtur, in Ægypti quidem regione, quo legatos eo tempore miserant Hierosolymitani, ad petendum contra Babylonios auxilium. Quam opinionem unde confirmari posse existimeam, paucis indicabo.

§. II.

Nego igitur ante omnia, פלאים, *pela'im*, plurale hic esse ex פרא *pele*, *mirabilis*, quoniam hoc pacto minus congruerent verba formæ loquendi Hebræis usitatæ. Inierunt quidem interpretes, ut accommodarent, rationem duplificem; unam, qua solum præfixum ב, alteram, qua Substantivum simul aliquid oportet subaudiri. Vtraque vero ellipsis linguae Hebraicæ consuetudini convenienter an repugnet, age dispiciamus. Prior

Pars VII.

C

rem

d) Referri huc etiam potest Gen. XXXVIII, 14. ubi Tamar sedisse dicitur בפתח ענים; ubi quidem per *Enaim*, quod nomen oppidi est in tribu Juda, geminos fontes nonnulli, alii *bivium itineris* intellegunt.

rem qui statuunt, statuunt vero plerique, בְּפָلַאִים, positum pro בְּפָלַאִם, vim adverbii h. l. habere existimant, exponuntque proinde mirabiliter, h. m. Descendit urbs seu dejecta est mirabiliter, ex illo scilicet, quod assecuta erat, splendoris, firmitatis, potentiae atque gloriae fastigio. Verum enim vero licet largiar, præpositionem בְּ periphrasin saepius facere adverbiorum, ut בְּאמֹת, בְּצֶדֶק, juste, vere, בְּחַפּוֹן, בְּמַהֲרָה, festinanter: & quamvis præterea non inficiar, in tali periphrasi בְּ saepenumero deficere, quippe cuius ellipseos CHR. NOLDIVS exempla attulit bene multa: e) tamen periphrasin illam, adeoque & ellipsis בְּ בְּ, hic quidem admitti posse, sunt quæ faciunt ut dubitem. Etenim ad illam, de qua agimus, circumlocutionem nomen requiritur substantivum, vel feminini certe generis adiectivum, ceu ex exemplis, quæ adduci solent, omnibus abunde patet. At vero פְּרָא omnium consensu adiectivum est, & generis quidem masculini. Requiritur vero etiam Singulare, quod indidem intalligitur; at פְּלָאִים Plurale est. Vetat igitur mos loquendi Hebræorum adverbialiter accipi. Quod intellexisse videtur sagacissimus Jo. CLERICVS g) quan-

e) In Concord. Partic. p. 172.

f) In Sepher Schorashim p. 393.

g) In Commentario ad h. l.

quando, deserta expositione ista vulgari, ad alteram illam, quam diximus, ellipsis confundendum esse arbitratus est. Supplendam igitur putavit, ante פלאים, vocem בנעימים, bingaim, *plagis*, ne esset adjectivum sine Substantivo: atque sensum hinc effecit huncce: *Descendit plagis mirabilibus*, h. e. propter vulnera cecidit in humum. Quam vero insolens tum ellipsis illa nominis נגעים, tum phrasis ipsa *descendere plagis* futura esset, intelligunt omnes, quibus linguae Hebraæ indoles paulo est perspectior. Neque enim ellipses illa patitur alias, nisi quæ ex re substrata ipsa animadverti facile possunt; cuius naturæ illa Clerici minime reputari potest, quippe longius petita. Nec licentiam facere potest stilos Jeremiæ scabrosus, quem urget Clericus, quicquid lubet supplendi. Phrasis autem ista: *descendere plagis*, pro vulneribus oppressum humi procumbere pariter talis est, ut ipsa etiam ab usu loquendi Hebraæ is recepto abhorrente videatur.

§. III.

Quamobrem nihil credo esse reliquum, quam ut פלאים nomen censeamus proprium loci cujusdam, quo fœc contulerunt Hierosolymitani, opis impetrandæ causa. Is vero quis sit, haud erit quidquam, ex quo cognosci queat rectius, quam historia ejus tempo-

ris Judaica, Ægyptiorum cum rebus collata. Scilicet jugum a Nebucadnezare, Babyloniorum rege, impositum excutere postquam decrevisset Zedekias, Judæorum rex, de foedere cogitare cœpit cum Ægyptiis ineundo, ut horum auxilio sustinere & reprimere posset impetum Babylonii, quem dubitare non poterat cum exercitu mox adventurum, ad ultionem de Zedekia perfido sumendam. Jure enim jurando fidem pollicitus erat Nebucadnezari, a quo, Joachino summoto, rex fuerat constitutus. Misit igitur g) ad Pharaonem Chophram h), quem Apriens appellant HERODOTVS i) atque DIODORVS Siculus k), legatos, qui copias ab eodem penterent auxiliares. Satis enim potens ad juvandum ipsum videbatur Apries, ὃς μετὰ τὸν Φαραώνιον, τὸν ἐώθιτόν προπάτορα, ἐγένετο ἐνδαιμονέσατος τῶν προτέρων βασιλήων, qui secundum Psammitichum, avum suum, fortunatissimus exitit omnium, qui antea fuerant, regum, ut de eo scribit HERODOTVS, qui que δρατέυσας δυνάμεσιν ἀδεῖς πεδικαῖς τε καὶ ναυτικαῖς ἐπὶ Κύπρον καὶ Φοινίκην, Σιδῶνα μὲν κατὰ ιράτος ἐιλε, τὰς δὲ ἄλλας τῆς Φοινίκης πόλεις καταπληξάμενος προσπηγάγετο. ἐνηκησε δὲ καὶ ναυμαχίᾳ μεγάλῃ Φοινίκας τε καὶ Κυπρίας

g) Ezech. XVII. 15.

h) Jer. XLIV. 30.

i) Lib. II. c. 161.

k) Biblioth. Hist. L. I. c. 68. p. 43. edit. Stephan.

πείρες καὶ λαφύρων αὐθεοίστας πλῆθος ἐπανῆλθεν
ἐις Αἴγυπτον, cum instruētissimis terra mari-
que copiis in Cyprum & Phœnicen impressio-
ne facta, Sidonem vi ceperat, aliasque Phœ-
nices urbes terrore subegerat: & ingenti pu-
gna navalی Phœnicibus & Cypriis devictis,
cum magna spoliorum vi in Aegyptum erat
reversus, testante DIODORO. Istam igitur
Zedekia ad regem Aegypti legationem unico
Jeremiam verbo, וְתַרְדֵּר, indicasse arbitramur.
Nam descendendi verbum, וְתַרְדֵּר, etiam cum
absolute, sive sine addito regionis vel loci po-
nitur nomine, iter denotare Aegytiacum,
demonstratione haud existimo indigere;
adeo latet illud, puto, corum neminem, qui
in legendis V. T. fontibus aliquantum sunt
exercitati. Itaque illud וְתַרְדֵּר interpretamur:
ablegavit in Aegyptum, qui auxilium pete-
rent.

§. IV.

Jam interpretatione hac admissa, conse-
quens sane erit, ut vox פלאים eum nomi-
natim Aegypti designet locum, quo legati Ju-
daeorum abierunt. Hunc autem ex sermo-
ne quodam Jeremiæ alio, qui in vaticinio-
rum volumine c. XLVI. v. 14. seqq. exhibe-
tur, me spero detecturum. Præstruendum
vero hic aliquid est, quod ad sermonis ejus-
dem intelligentiam vel maxime conduceat;
videlicet ad Judæos illum pertinere, ur-

C 3

bes

bes Ægypti aliquot tunc incolentes. Colligi id licet ex Cap. XLIII. 7. XLIV. 1. ubi indicat Propheta, Judæos, in Ægyptum, non obstante dissuasione ipsius seria, profectos Daphnis Pelusiis (תְּחִפְנָהִים) sedem primum fixisse, quemadmodum & Jeremias ipse fixit, perpetuoque, ut credibile, habuit, postea Magdolum quoque, Memphis, & in regionem Patros, quæ Ægyptus creditur superior, esse digressos. Quid igitur est, quum tot Ægypti urbes essent aliae, eademque, si a sola discedamus Memphi, magis etiam claræ, quid est, inquam, cur quæ dicturus erat, proclamari speciatim jubet *Magdoli, Memphis & Daphnis*, nisi quod ad Judæorum potissimum, loca illa tunc inhabitantium, pervenire ea velit notitiam, tanquam ad ipsos spectantia? Jam sermonem ipsum curatius paulo consideremus:

הַחֲצֵב וְחַכְן לְךָ כִּי
אַכְלָה חָרֶב סְכִיבֵךְ, *siste te, et para te*, o Judæ, urbium illarum inquiline, ad defensionem, quia absunit gladius quæ sunt circa te, arma Babyloniorum loca vicina expugnant occupantque. V. 15.

Quare vero retro agitur fortium tuorum quisque, fugam capessit, לא עָמָד nec consistit in acie? Scilicet יהוה הרפּו impellit ipsum Jehova terrore incusso. V. 16.

הַרְבָּה כּוֹשֵׁל
Multipli cat impingentem, facit idem, ut Judæorum multi impingant, pede firmo obsterere

stere nequeant Babylonii, in Aegyptum irrumpentibus: נִפְלֵא אֲשֶׁר רָעָה Cadit etiam unus supra alterum, in fugam se se dant præcipes, dicuntque: קֹמַה וּנְשָׁבָה אֶל עַמּוֹ וְאֶל אָרֶץ: מִוּדָתָנוּ Age revertamur ad populum nostrum, & ad solum nostrum natale, repetamus Judæam, patriam nostram, unde invito Numine emigravimus, מפני חורב הוונח propter gladium columbe, ejus, qui columba utitur pro insigni, quod olim fecerant Assyrii, vel, si mavis, oppressoris, propter vim armorum, quibus omnia superant opprimuntque Babylonii. V. 17. קָרָאוּ שֵׁם פְּרֻעה מֶלֶךְ מצרים Clamaverant ibi, Judæi ante annos aliquot ibidem locorum, eisdem in urbibus, per legatos suos sic exclamaverant: O Pharaeo, Rex Aegypti! succurre, opemque fer genti nostræ pressæ, ut resistere valeat Babylonii ingruentibus, urbeisque nostram obsidione cincturis: שאון Strepitus. Verum Apries nil nisi inanem tunc ciebat strepitum. Nam movit quidem ex Aegypto exercitum, quasi liberaturus obsidione urbem; mox vero, cum Babylonios sibi occurrere audivisset, recessit, I) והביר המער atque ita transire sicut statum tempus, præterlabi illud tempus passus est, quo maxime obseffis prodeste copiis suis ex condicto poterat. Quod postremum non alia de causa in memoriam

C 4

Judæ-

I) Jerem. XXXVII, 5. 7.

Judæis suis revocasse videtur propheta, quam ut judicarent, quemadmodum olim frustra auxilium ab Ægyptiis exspectassent: ita illa quoque tempestate, qua Ægyptum invasurus esset Nebucadnezar, nullum ipsis fore in Ægyptiis, quos inter viverent, præsidium, qui ipsi se adversus hostem adeo gravem tutari haud queant.

§. V.

Nostro autem proposito verba cumprimitur serviunt extrema: *Clamarunt ibi.* Nam illud *ibi* referri utique debet non ad solam Memphis, sed ad loca etiam reliqua, quorum facta fuerat mentio, *Daphnas Pelusiacas & Magdolum.* Ex quo inferri potest, legatos Judæorum desiderium regi suum in eo quoque tractu, qui alveo Nili primo, Palestinae ratione habita, ab ortu adjacet, exposuisse. Sita enim ibi urbs utraque, vicina quippe Pelusio, cuius situm postea demonstrabimus. Nam Magdolum Pelusio XII. millibus passuum, five tribus mill. Germ. in austrum, Daphnæ vero XVI. millibus, seu quatuor milliariis Germ. distabat, observante ex itinerario Antonini **CELLARIO** m). Videri quidem poterant iidem legati Memphis potius adiisse, quod illic tunc esset sedes regia.

PLI-

m) *Notit. orbis antiqui* P. III. p. 56.

PLINIVS n): Memphis quondam arx Ægypti regum. Verum Daphnis quoque reges tunc temporis, Apriem saltem, si non semper, interdum tamen egisse, palam fit ex eo, quod palatum ibi fuit regium. Meminit enim hujus ipse Jeremias, quando mandatum sibi a Deo suisse ait, ut lateres abderet in argilla, ad fornacem laterariam, quæ ad ostium esset *domus Pharaonis* Daphnis. Quæ domus cur exstructa fuisset, nisi rex istic soleret commemorari. Nec defuit sane causa commorandi eo in loco Apriæ. Quod si enim unquam, tunc certe maxime necessaria præsentia ejus erat in finibus Ægypti orientalibus, ut hos a Babylonii, quos bellum apparare ignotum ei esse non poterat, eo accuratius defenderet. Nec dubium est, quin Daphnis Pelusium quoque sapientius rex commemarit. Nam huic potissimum totius Ægypti propugnaculo cura ad hibenda erat atque providentia, ut diligenter custodiretur adversis Arabum, Syrorum populorumque orientis aliorum irruptiones. Hinc præsidio illi prospiciendum vigilanti atque numero, cuius & capax erat. Manetho saltem apud JOSEPHVM o) refert. Salatim, Pastorum regem, collocasse in hac urbe, Abari olim dicta, ad custodiā ejus armatorum

C 5

mul-

n) Hist. nat. L. V. c. 9.

o) Contra Apionem p. 445. edit. Haverc.

multitudinem usque ad CCXL. millia viorum. Ecquis itaque dubitet contingere facile potuisse, ut legati Zedekia regem invenirent in urbe Pelusii, Daphnis, ubi arx regia, non longe remota?

§. VI.

Quæ cum ita sint, conjicio hinc, פלאים Jeremiæ illud ipsum esse *Pelusium*, præfertim cum a nomine non multum abludat. Sublato enim ex πηλάστιον sibilo, qui, quam facile tollatur, inter linguarum peritos fatis constat, perquam affine illud evadet τὸ *Pelaïm*. Ac fortassis etiam sine sibilo nomen extulerunt Ægyptii, sono ad *Pelaïm* magis etiam accedente. Situm vero erat illud Ægypti claustrum, uti *HIRTIVS* vocat p), prope ostium illud cognomine, quo in mare effluit alveus Nili Bubaisticus, ac illi quidem ad ortum, viginti stadiis a mari in Arabiæ confiniis. *STRABO*: q) ὥπεραι δὲ αἴτῳ θαλάσσης ἐν πλεύσιον ἡ ἔκποσις σαδίοις - - - Η δὲ μεταξὺ τῆς Νείλου, καὶ τῆς Ἀραβίας κόλπῳ Ἀραβία μέν εἶνι, καὶ ἐπὶ γε τῶν ἄκρων αὐτῆς ἴδευται τὸ πηλάστιον. Sita est urbs supra mare stadiis amplius viginti - - - Arabia inter Nilum jacet & Arabicum sinum, & in extremis ejus partibus (Arabiæ) situm est *Pelusium*. Ambitus

p) *De bello Alexandr.* cap. 27.q) *Geogr.* L. XVII. p. 1155. edit. - - -

bitus urbis, Strabonis tempore, stadiorum fuit XX, ceu idem refert Geographus. De nomine vero inter Veteres ipsos dissensio est. Nam Strabo illud *ἀπὸ τῆς πηλᾶς καὶ τελμάτων, a luto,* quod Græcis *Pelus* est, & paludibus dicit. Cujus sententiæ situs urbis favet. Nam *μεταξὺ τῆς Τανιτίδος καὶ τῆς Πηλαγίανθες λίμναι, καὶ ἔλη μεγάλα καὶ συνεχῆ, κώμας πολλὰς ἔχοντας καὶ αὐτὸ δὲ Πηλάσιον κύκλῳ περικέμενα ἔχει Ἐλη, ἀτινες βάχαθρα καλλίσι καὶ τέλματα.* Inter Taniticum Pelusiacumque ostium sunt lacus, & maximæ ac continuae paludes, in quibus & pagi multi sunt. Pelusium quoque ipsum est cinctum lacubus, quæ nonnulli Barathra vocant, nec non paludibus, inquit Strabo. AMMIANVS vero MARCELLINVS r) a Peleo, conditore, nominis rationem haud obscure jubet repeti. Subnotamus ipsa ejus verba: *In Augustanica Pelusium est oppidum nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari Deorum monitu jussus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum post interfictum fratrem, nomine Phocum, horrendis furiarum imaginibus raptaretur.* Peleum Pelusium condidisse, quos secutus Autores asserat Marcellinus, nescire se fatetur HADR. VALESIVS ad istum Ammiani locum. Secutus autem procul dubio est DIONYSI-

VM

r) Libr. XXII. c. 16. in principio.

VM Periegeten, idem affirmantem his verbis:

- - - παρὰ Κασιώτιδα πέτρην
Πηλῆθυ πτολεύθερον ἐπώνυμον ἄνδρες ἔχοστε
ἔξοχα ναυτιλίης δεδαήμενοι.

- - - ad rupem Castam
Pelei de nomine dictum oppidum homines tene-
nent,

Rei nauticæ peritissimæ.

Ad quæ hæc observat Eustathius Scholiafest:
Οὐτῷ μὲν τὸ Πηλάσιον πτολεύθερον ἐπώνυμον τῷ
Πηλέθῳ Φησὶν, ὡς σεραπιωτῶν Φθιωτῶν, ὑπὸ Πηλεῖ
τεταγμένων, οἰκησάντων ἀντό. *Hic quidem di-*
cit, Pelusium oppidum nomen a Peleo habere,
quod Phthiotæ sub Peleo militantes hic habi-
taverint. At minus id videtur probabile Val-
lesio, cum Peleum, occiso fratre Phoco, pul-
sum ab Æaco patre, Phthiam confugisse ad
Eurytum, sive ad Eurytionem Actoris filium,
ab eoque lustratum esse, omnes Historici
consentiant: inter quos Diodorus Siculus,
Apollodorus, Antoninus Liberalis (addere po-
tuisset Pausaniam) Aristophanis, Apollonii
ac Lycophronis Scholiafestæ. Porro Peleum,
cum Eurytum inter venandum casu occidi-
set, Phthia relicta Jolcum se contulisse ad
Acastum, ut quidam memorent. Probabi-
lio-

s.) In *Periegesi* v. 261.

liorem itaque censet Valesius Strabonis opinionem; nisi potius vocabulum sit Ægyptiacum. Quod postremum recte quidem illum suspicatum esse arbitramur. Nam Ægyptios, priusquam a Græcis subjugati essent, loco adeo nobili nomen potius Græcum dare voluisse, quam ex sua petitum lingua, nemini fortasse credibile videbitur, qui meminerit, quantopere Græcos horumque res præse suisque vilipendere ac spernere consueverint Ægyptii. Ut taceam, vix pati linguæ Græcæ analogiam, ut ex πηλὸς derivatum sit πηλάστιον, ad locum cœnosum indicandum; dicendum enim potius erat πηλῶδες. Itaque in illo Veterum divortio sic mihi videtur statuendum: Accepisse urbem nomen suum ex viro quodam Ægyptio illustri, qui vel condiderit, vel ratione etiam alia bene de illa sit meritus; atque hunc nomen geffisse tale, unde vox Πηλάστιον *Pelusium*, vel quomodo cunque extulerunt Ægyptii, facili negocio posset deduci. Fueritne ΙΣΚΑΣΙΩΝ ναυκλήρων, *Casius* ille *Nauclerus*, quem Peltisiotas pro Deo coluisse EPIPHANIVS t) refert, an alias quisquam, nobis nunc perinde esto, Græci postea, cum viderent, nomen istud cum illo, quo Achillis appellatus parens esset, apprime convenire, gloriae sūx gentis con-

t) In λόγῳ ἀγνοεωτῷ s. in libro ancorato p. 513. edit.
Gr. Bas. a. 1544.

conducere existimarunt, si originem urbis juxta ac nomen ad Peleum referrent. Commenti igitur sunt, hunc ejusdem extitisse conditorem nominisque simul auctorem. Græcorum alii, animadversa nominis cum voce πηλὸς congruentia, hinc illud derivare instituerunt, præsertim cum sita urbs in solo esset cœnoso. Quasi vero Græce locuti essent Ægyptii, a quibus impositum procul dubio urbi nomen fuit, non a Græcis. Etenim jam pridem ante Alexandri M. ætatem in usu fuit, uti ex Herodoto colligimus, qui *ostii Pelusii*, quod nomen habuit ab urbe, passim meminit. Illo autem tempore quis Ægyptios sibi persuadeat, Græcorum contemtores, vocabulum ab his mutuari voluisse, quo urbem quandam suam appellarent?

§. VII.

Objici mihi posse video, urbem Pelusii non פלאים *Pelaïm* vocari solere in sacrifici litteris, sed סין *Sin*. Admodum certe probabile, Ezechielem per סין, quam in urbibus Ægypti variis recenset, & מעוז, sive *propugnaculum*, vocat, u) Pelusium designare voluisse, urbem Ægypti facile munitissimam: quod & Vulgato interpreti jam persuasum fuit & BOCHARTI x) studio confirmatum

u) Cap. XXX, 15. 16.

x) In Phaler L. IV. c. 27. p. 311. sqq.

tum est. Est vero quod respondeam, scilicet minime esse insolens, ut locus aliquis nomen in sacris litteris duplex gerat, imo triplex. Ab Ægypto ut rei confirmandæ cautela digrediamur, haud erit necesse, quum ipsa hæc regio exemplum nobis subministraret memorabile; urbem scilicet *On*, utri Moses y) vocat, ex qua oriunda erat illa sacerdotis familia, quam in matrimonium duxerat Josephus Prorex. Hanc urbem magno consensu interpres, cum veteres tum recentiores, Heliopolin esse affirmant, urbem Nomi, inter Nilum & intimum finus Arabici recessum siti, principem. Affirmat idem JOSEPHVS quoque, conjugem illam πετεφρη Θυγατέρα vocans τῶν ἐν Ἡλιοπόλει ιερέων, *Petepræ*, unius ex sacerdotibus Heliopolitanis, filiam z). Pseudo-Jonathanem quid moverit, ut jⁿ, *On*, per טנִס *Tanes* redderet, non perspicio. Tanis enim non jⁿ *On* audit in scripturis sacris, sed יְזָן *Zoan*. Jam urbs illa nomine prorsus alio nuncupatur apud Jesaiam, & rursus alio apud Jeremiam. Nam Jesaias עיר והזרס *Ir baheres* dicit a): quod, ut ex re ipsa, de qua agitur, quippe ad Heliopolin pertinente, patet, accipiendum, quasi legeretur שער החרס *Ir bacheres*, urbs solis, quomodo & Paraphra-

y) Gen. XLI, 45.

z) *Antiqu. Jud. L. II. c. 6. p. 80.*

a) Cap. XIX, 18.

phrastes legisse videtur Chaldæus, Symmachus & Hieronymus legerunt manifesto, quippe πόλιν ἡλία, *solis urbem*, interpretati, & Jesaiam quoque ipsum scripisse non improbabile est. Jeremias vero b) eundem lobum בֵּית שָׁמֶן, *Beth schemesch*, seu *domum* appellavit *solis*, voce בֵּית vel latiori illo significatu, quo *locum* notat quemvis, utens vel ad *Ædem* respiciens *Soli* istic constitutam: in cuius numinis honorem quotannis panegyris in urbe illa agebatur solennis c) En ergo nomina Heliopoleos tria: *On*, *Irbacheres*, *Beth schemesch*. Accedat celebratissimæ etiam Babylonis exemplum, quam Jeremias d) modo *Babelem* vocat, modo *Sesacham*. Nihil igitur obstat, quo minus, si cetera congruant, *Pelaim* & *Sin* pro unius ejusdemque urbis haberi possint nominibus. Ac potest ratio aliqua diversimode appellatae urbis inde etiam peti, quod Ezechiel in Babylonia scripsit, adeoque nomine utendum censuit inter Babylonios usitato; Jeremias vero in *Ægypto*, ut videtur, carmen hocce lugubre compositum, ideoque satius esse duxit, illam appellationem, quæ inter *Ægyptios* usu pridem invaluerat, exprimere, quam aliam quandam, quam vel populares sui in Canaane, vel Babylonii solerent usurpare. Con-

tin-

b) C. XLIII, 13. c) Herodotus L.II. c. 59.
d) Cap. XXV, 26. & LI. 41.

tingere enim & hoc solet, ut locum unum gens una plane appellat aliter, quam altera. Sic Thebas, Ægypti superioris metropolin, Græci ut plurimum *Diospolin*; Bethschanem, nobilem Palæstinæ urbem, *Scythopolin* appellarunt. Quid igitur, si Babylonios quidem, non vero Ægyptios ipsos, Pelusio Sinis nomen, ob solum, in quo posita erat cœnorum (*Sin*, enim Chaldæis lutum sonat) dedisse existimemus? Perinde ac Græci hoc ipso situ adducti fuere, ut *Pelusii* vocem ex πηλῷ attributum loco fuisse arbitrarentur.

§. VIII.

Nunc agedum lustremus contextum orationis integrum, & quis sensus prodeat videamus, si פלאים nomen urbis Ægypti proprium censeamus. לא זכרה אורתיה non memor, inquit propheta, *finis sui fuit*. Summam igitur imprudentiam Hierosolymitanis suis exprobrat, qui consilia inierint temere, de exitu, quem habitura essent, parum solliciti. Jam imprudentissime eo ipso egabant Judæi, quod a Nebucadnezare, rege potentissimo, orientis terrore, ubi defecissent, cum Ægyptiis pacti erant de auxilio, quod tamen vel certum, vel satis certe validum futurum sperari haud poterat. Hoccine erat finem respicere? An non causa potius Ezechielis gravissima erat quærendi ex Hierosolymo-

Pars VII.

D

הristol וְחִימָלֶת הַעֲשָׂה אֶרְאָה) lymorum civibus e) : וְחִפְרֵר בְּרוּת וְגַמְלָט in-columnis evadet, talia qui fecerit? Frangatne rex Jud. fœdus & salvus maneat? Sed indicat Jeremias quoque ipsam illam, ad quam respexerat, actionem imprudentem. וְתַרְדֵּם פְּלָאִים Descendit enim Pelusium, vel, dum descendit Pelusium. Quæ optime his Ezechielis explices verbis: Rebellarvit, Zedekias, adversus eum, Nebucadnezarem, mittendo legatos suos in Ægyptum, ut concederet ipsi, rex Ægypti, Apries, equos cum copiis numerosis. Dicuntur vero legati illi descendisse seu profecti esse Pelusium, quod illic loci, ut supra jam sumus suspicati, rex forte tunc commoraretur cum exercitu, ut hostem, si qua ingrueret, a regni finibus arceret. Potest tamen Pelaîm, Pelusium, syneccdochice etiam de Ægypto accipi universa, eundem ad modum, quo, ex nonnullorum sententia, quam equidem non improbo, Sinim, seu Pelusiotæ, apud Jesaiam f) pro Ægyptiis ponuntur omnibus: Quam vero inutiliter ista suscepta fuerit legatio statim docet propheta verbis: אין מנהם לה; Consolator, i.e. auxiliator, illi nullus adfuit. Nam licet auxilia, muneribus amplissimis acceptis, pollici-
tus

e) C. XVII, 15.

f) Cap. XLIX, 12. Vide BOCHARTVM in Phaleg L. IV. c. 27.

tus esset Apries Zedekiæ , ac stare etiam promissis velle videretur , quando Judæam versus ducebat exercitum , quasi subsidio venturus Hierosolymitanis laborantibus : tamen successu caruit conatus , quod vel serio rem non ageret Apries , vel vires suas non sufficere sentiret , ad configendum cum hoste tantis opibus instructo . Recepit enim se in Ægyptum , simulac Babyloniorum exercitum , soluta tantisper obsidione , sibi occursum esse cognovisset g). Inanis igitur plane spes erat , quam in Ægyptiis colloca- verant Judæi . Quod & ipse Jeremias aper- te profitetur postea : קָרְאָתִי לְמַאֲחָבִי הַמָּה רְמוֹנוּ . Advocavi amatos , fæderatos meos ; sed illi fefellerunt me h). Ac inferius i) : שׁוּרֵינוּ תְּכִלֵּנָה עִינָנוּ אֶל עֹזְרֹתָנוּ בְּצִפְתָּנוּ צִפְנָנוּ אֶל גּוֹי לֹא יוֹשִׁרֵעַ . Cum adhuc nos sub- sisteremus , rempublicam atque civitatem adhuc teneremus , confecti fuere oculi nostri spectando ad auxilium nostrum , inutiliter . Speculatione nostra speculati sumus , ex locis altis longe prospectavimus , ad gentem minime nos servaturam , ad Ægyptios , a quibus tamen salus nulla erat exspectanda : profuerunt illi nobis prorsus nihil . Hoc igitur patto aptius , spero , singula cohærere inter se deprehendentur , quam si vulgari verborum Je- remiaæ interpretationi inhæreamus . OB-

g) Jer. XXXVII, 7.

h) Cap. I, 19.

i) Cap. IV, 17,

OBSERVATIO III.

DE FORMVLA ELLIPTICA:
NONNE AD VOS, VIATORES?

Ad Thren. I. 12.

לֹא אֲלֵיכֶם כָל עַבְרִי וּרְךָ הַבִּיטָר וּרְאוּ אֶם
ישׁ מִכָּאָב כִּמְכָאָב אֲשֶׁר שָׁוֹלֵל לוֹ.

*Nonne ad vos viatores omnes? Intuemini
& videte, an sit dolor aliquis ei similis, quo
affecta sum ego.*

CONSPECTVS.

Eorum in sermone scriptisve, qui dolorem animo
sentiunt exquisitum, ἐλλίπσεις οἱ ἀποσιωπήσεις
frequentes sunt. Unde Threni quoque Jeremiac
illis scatent. §. I. Græcus interpres verba, de qui-
bus queritur, sensu reddidit plane nullo. Chaldaeus
sensum tantum exprimere voluit, verborum pa-
rum curiosus. Nec vulgatus vim verborum exhau-
sit. CLERICVS etiam in illis interpretandis ju-
sto licentiosius versatus est. §. II. Ellipsis formulæ
duplex inest: una τὸ π ἡ interrogativi; altera
verbi ΝΤΚΝ claimen. Confirmatur posterior ex
loco simili. Prov. VIII, 4. §. III.

§. I.

Quod contingere solet iis, qui dolorem
animo tentiunt insignem, ut, dum loqui
aliquid vel scribere instituunt, in verbis admo-
dum sint parci, impedianturque angore, quo
minus, quæ ad plenam orationem pertinent,
pro-

proferant omnia exprimantve: id Jeremiæ quoque vati, dum carmen hocce triste, quo & suas & gentis suæ calamitates ingentes deflet, conderet, accidisse animadvertisimus. Scaret enim illud ἐλλίπεσσι, scaret ἀποσιωπήσεσι, ad quas nisi diligenter attendat lector, futurum sane est, ut bonam scripti partem ægre capiat. Nos exemplo rem nunc illustrabimus unico, ex libri fere primordio, ubi invitat propheta viatores omnes, ut spectatum accedant, judicentque, *sitne dolor aliquis ei comparandus*, quem perferre oporteat Hierosolymorum cives, propter urbem penitus eversam.

§. II.

Est invitatio illa his concepta verbis: *לוֹא אָלַיכֶם כֵל עֲבֹרִי רַךְ וְגַם*. *Nonne ad vos, viatores omnes?* Græcus interpres sic reddidit: οἱ πρὸς ὑμᾶς, πάντες παραπορευόμενοι ὁδόν. *Qui ad vos, prætereuntes per viam*, sensu plane nullo. Chaldæus sensum potius exprimere voluisse videtur, quam verborum habere rationem, cum sic interpretatus est: *אַשְׁבָעִית לְכֹן כֵל דָעֵבְרִין בָאוֹרָה א*, *Obtestor vos omnes, qui transitis per viam*. Recentissimus vero omnium, ut omittam alios, Jo. CLERICVS, magna usus licentia, exposuit: *Vos omnes, qui per viam transitis & ad quos res non pertinet, utinam adspiciatis, & videatis!* Scilicet particulæ *לוֹא* & negandi &

D 3 optan-

54 *Obs. III. De formula elliptica:*

optandi, (quasi esset לְגַ) vim tribuit, & non secus, ac si utroque modo scriptum esset, transstulit: quod quo jure fieri potuerit, equidem non perspicio. Aut enim solum negat לֹא, aut, si emendandi cupidini mutandique in לִי locus sit reliquendus, desiderium notat. Vtrumque officium simul præstare non potest.

§. III.

Malim igitur ellipsis in verbis statuere duplicem, eamque a consuetudine Hebræorum minime abhorrentem: unam וְהַ interrogativi ante לֹא, ita ut cum interrogatione efferantur verba לֹא אלֵיכֶם, nonne ad vos? Quam ellipsis si quam frequens sit Hebraicis, exemplis operose ostendere instituerem, vendendum fane mihi esset, ne otio abundare, aut in re manifesta diligentiam collocare velle supervacuam, lingua peritis viderer. Ellipsis alteram verbi אָקָרָא, clamem, esse putto, hac sententia: Nonne justum est, ut ad triste hoc spectaculum vos omnes convocem, qui iter bac facitis, & urbem vidistis admirati que estis florentem? Quo pacto optime quadrabunt verba ad ea, quæ sequuntur: הַבְטוּ וְרָא אֲנָשָׁים מִכְאָבִי Intuemini & aspicite, sitne dolor aliquis ei, quo affecta ego sum, comparandus. Similis plane formula est, qua Proverbio-

אליכם אישים אֶלְיכֶם אִישִׁים
biorum scriptor utitur a) **אקרא** Ad vos, viri, clamo; in qua cum clamandi verbum expressum sit, dictam hinc ellipsis confirmari posse arbitror.

OBSERVATIO IV.

DE FORMVLIS MOTITARE
CAPVT, ET APERIRE OS.

ad Thren. II, 15. 16. III, 46.

CONSPECTVS.

פְצַח פָּה motitare caput, **פָנֵס** aperire os, *scu* הַפְטֹר בשפה diducere labium, de iis adhiberi, qui illudunt insultantque aliis, agnoscunt quidem interpretes: at plene tamenesas, aut accurate satis, explicare non solent. §. I. Priori formula non notatur motio ad latus utrumque, que abmuentis est, negantis, aut displicantiam testantis, in oraculis etiam nonnullis adhibita: sed ea, que sit antrorsum, atque sursum deorsumque, τοῖς ἐπιχαιρεντάνοις, & in sinu gaudentibus usitata. §. II. Loca scripturæ, ista capitîs de motione intelligenda. §. III. Per formulam alteram non nuda indicatur oris apertio, que admirantium potius est stupendumque; sed ea, que cum convicio, ludificatione, probrisque ingestis conjuncta est. §. IV. Quod confirmatur (1) ex Ps. XXII, 14. 8. §. V. (2) ex Jobi, XVI, 4. 10. §. VI. (3) ex Matth. XXVII, 39. §. VII. **פְצַח פָּה** Græce phrasē Homerica ἀνα σόμι εἰχειν efferrī posset. Alibi

D 4

os

a) Cap. VIII, 4.

56 Obs. IV. De formulis motitare caput,

os aperire dicitur, qui votum concipit verbis,
non tacitus, ut superstitionum quorundam mos
fuit. פָתָחן תְּהִנֵּעַ Judaorum recentiorum. §. VIII.

§. I.

CVm locis in inscriptione indicatis, tum
alibi passim in sacris litteris obviæ sunt
formulæ פָתָח פֶתַח תְּהִנֵּעַ motitare caput
& aperire os, pro quo Psalmo XXII. v. 8. et
iam legitur הַפְטִיר בְשֻׁפָּחָה, aperire, vel diducere labium. De iis adhiberi phrases, qui illud
lidunt insultantque aliis, palam est: nec de-
siderari in interpretibus potest, quod illud
minus observarint. At erit tamen fortasse
nihilo secius, quod ad illustrationem locu-
tionis utriusque pleniores dici possit. Quod
si fiat, non futurum spero, ut operam suscep-
isse videamur levem aut inanem. Priori
quidem merum designari gestum, de eo mihi
cum ceteris interpretibus convenit; il-
lad vero addubito, an iste denotetur, quem
vulgo sibi repræsentant homines, cum de ca-
pite motitato inaudiunt. De posteriori ali-
ter, ac vulgo sit, sentio. Neque enim aper-
turam oris nudam, sive eam, quæ cum filen-
tio, sed talem, quæ cum convicio conjun-
cta est, significari per eam existimo.

§. II.

Primum igitur id queritur, qualis illa mo-
do sit, quam verbo תְּהִנֵּעַ, agitationem aliqui

qui quamlibet significante, indicare in hac phraſi voluerunt Hebræi : utrum illa, quæ ad latus fit, utrumque (*ein kopf schütteln*) an alia ? Evidem id & naturæ gestuum, & mori gentium communi (a quo cur desciverint Judæi?) congruum esse arbitror, ut cum ad latus utrumque moveretur caput, animus significetur vel recusantis negantisque, vel ejus, cui res aliqua displicet. Hinc & in oraculis illis, quæ motu reddebantur capitis, si caput simulacri, sacerdotum quidem arte, in partem moveretur utramque, intelligebatur hinc, negare Deum, vel improbare consilium cœptumve. Tale illud erat Jovis Ammonii, de quo STRABO a) : οὐχ ἀστερὲς ἐν Δελφοῖς καὶ Βραγχίδαις τὰς αἰποθεσπίσεις οἴα λόγων γίνεσθαι, ἀλλὰ νεύματα καὶ συμβόλοις τὸ πλέον, ὡς καὶ παρ' Ομήρῳ b)

Η καὶ κιανέστιν ἐπ' ὁφεύστε νεῦστε Κρονίων.

Τὰς προφῆτας τὸν Δία ὑποκεινομένα.

Responſa non, ut apud Delphos & Branchidas, verbis dari, sed magna ex parte nutu & ſignis: quemadmodum apud Homerum:

Dixit: cœruleisque ſuperciliis annuit Jupiter.

Vate Jovem imitante, ſimulante, effingente.

D 5

Mi-

a) *Geograph. L. XVII. p.1168.*

b) *Illi. I. v. 528.*

58 Obs. IV. De formulis motitare caput,

Minime ergo gestus iste irridenti convenit, vel ludificanti. Huic enim maxime placet, imo oblectationi summæ est malum, quod ei, quem irridet, accidit. Quare ad illum potius capitinis motum respiciendum erit, quo vulgo utuntur ὡς ἐπιχαιρέμενοι, gaudii sui testificandi caussa. Solent enim hi antrorsum potius, annuentium instar, motitare caput, ita ut mentum ad pectus fere applicent, mox vero rursus attollant, repetantque hanc agitationem crebrius cum risu, gaudium prodente enixum. Cujusmodi gestus in iis quoque observari interdum potest, qui de re, quæ ipsis accidit, læta secum & quasi in sinu gaudent. Ac sane, verbum non tantum de motu, qui ad latus utrumque, sed de eo quoque, qui sursum fit ac deorsum adhiberi suevisse, palam est ex Zeph. II, 15. ubi viatores de Ninive everla, pro derisionis signo, sibilaturi dicuntur manumque agitaturi, יְנִיעַ יְדֹו. At quis unquam vidit hominem, alios deridentem miserisque insultantem, manum movere aliter, quam sursum ac deorsum? nisi forte manum utramque complodat, quod apud Hebreos סָפֶק est, non יְנִיעַ. Quocirca, si רָאשׁ apta phrasí germanica velimus exprimere, dicere debebimus, mit dem Kopfe nicken, non den Kopf schütteln.

§. III.

§. III.

Tali igitur capitatis motione Hierosolymorum civitatem Sancharibum fugientem prosecuturam esse, Esaias propheta nunciat. c) בזה לך רענה לך בתולה בת ציון אחריך ראש הנעה בת ירושלים Spernet te, illudet tibi virgo filiae Zionis, post te caput motabit filia Hierosolymorum, latatura scil. de clade, quam passus es, ingenti. Eodem quoque gestu ab hostibus vel sibi ipsi, vel ei, cuius personam ibi sustinet, illudi acerbe queritur psalmi vigesimi secundi auctor. v. 8. funditque querelam eandem, qui Psalmum composuit CIX. commate quinto & vigesimo. Jobus etiam cap. XVI, v. 4. ait: sibi quoque facile fore, derisionis causa, motitare caput, de amicis inania solatia afferentibus, si suo essent loco; perinde ac fecissent illi. Porro Hierosolyma desolata eandem pati a viatoribus gentium inimicarum contumeliam, Jeremias dolet locis Threnorum citatis. Sic & Ecclesiastici scriptor d), pauperem alloquens in extremam necessitatem adactum, formulamque istam Hebræorum imitans, τὴν πεφαλὴν ἀντεῖ, inquit, κινήσει ἐπὶ σοί, Caput tuum contra te movebit dives, te ab ipso vanis promissis deceptum deridebit. Denique inful-

c) 2. Reg. XIX, 21. Esa. XXXVII, 22.
d) cap. XIII, v. 10.

60 Obs. IV. De formulis motitare caput,

insultatum eodem modo sanctissimo fuit Servatori, ex cruce pendenti nam prætereuntes ἐκένησαν τὰς ιεΦαλὰς ἀντῶν, motitarunt capita sua. e)

§. IV.

Pergimus ad formulam alteram *aperire* os, quæ pariter tribuitur insultantibus aliorum calamitati. Hæc ita vulgo intelligitur, quasi ore tantum hiante adstant irrisores, nihilque interea loquuntur, similes τοῖς ιωΦοῖς προσωπείοις, ἃ διηημένα τὸ σόμα καὶ ταρμέγεδες ιεχηνότα, ὃδε τὸ σμικρότατον Φθέγγυεται, mutis in tragœdia personis, quæ diductoriētu, atque immane biantes, ne minimum quidem loquuntur, verba vides LUCIANI f.). Vereor autem, ne contra experientiam rictus oris iis tribuatur, qui illudunt misérис. Is enim non tam in deridentibus obser-vatur, quam in admirantibus rem aliquam cum stupore. Quare aliud quid esse existimo, quod per os apertum innuat, convicia scilicet in hominem, vel locum, male habitum conjecta, ludificationem probraque ingestæ.

§. V.

Cujus expositionis confirmationem inde primum sumo, quod Ps. XXII, 14. homines

os ge-

e) Matth. XXVII, 39.

f) In Toxari T. Opp. II. p. 38. ed. Græv.

os gerentes apertum conferuntur cum leone, non silente sed rugiente. **פֹצֵר עַלְיָ פִיהֶם**, **אֲרִוָה טְרֵף וּשְׁאָגָן** Aperuerunt adversus me os suum, *instar leonis lacerantis & rugientis*. Quæ comparatio minus bene quadraret, si nihil egissent præterea inimici, de quibus loquitur psalmes, quam quod os aperirent. Potestne quispiam leoni similis dici rugienti, si vox audiatur ex eo nulla, si interitum non minitetur aliis, aut probra falso in eos non congerat? Explicet nobis comparisonis illius viam Jeremias vates verbis, quæ commate octavo capitinis XII. vaticiniorum ejus leguntur: **הַרְתָה לְיַהְוֵד חַלְתִּי כְּאַרְחָה בְּעָרָה נְתַנָּה** **עַלְיָ בְּקֻולָה**. *Fuit mibi possessio mea, gens Israëlitica, instar leonis in sylva; edidit contra me vocem suam: ubi vocem seu rugitum edere, quid est nisi probrof loqui, lingua blasphemæ obloqui?* Pariter **SIRACIDES** g) herum asperum, & nihil nisi convicia in domesticos jacientem, leoni facit similem. Ad psalten vero ut revertamur, ipse ille in superioribus v. 8. quid labium adversarioru diductum modo vocasset, indicat, sermone scil. aculeatum & ironicum. **גָּל אֲנִי רְחוֹה יְפָלָתָהוּ רְצִילָתָהוּ כִּי חַפֵץ בָּרוּ**. *Devolvit in Jehovam causam suam tuendam, is nunc liberet eum & eripiat, quia delectatur eo.*

§. VI.

g) Ecclesiast. c. IV. v. penult.

§. VI.

Porro quando Jobus loco jam citato, postquam caput se moturum de amicis, ut videri volebant, suis dixerat, addit: **אמצכם במו פְ וּנור שִׁפְתָּר וְחַשְׁךְ** contendarem vehementius contra vos ore meo, & motus labiorum meorum vos coerceret, idem sane dicit, quod verbis paucioribus aperire os alias designant Hebraei. Conjunguntur enim hic eodem modo caput movere, & vehementer contendere motumque labiorum coercere, sicut alibi *apertio oris* cum *commotione capitatis*. Apertum vero, puto, est, hoc velle Jobum, sibi quoque objurgandi & conviciandi non defore facultatem, si inde laus & meritum aliquod captari posset. Quid pluribus opus? Utitur Jobus ipse non multo post v. 10. ipsa illa, de qua quæstio nunc habetur, phrasí, nisi quod loco **פְצָחָה** verbum adhibet æquipollens **פְעָר**, subjungitque statim, declarationis caussa, vocem **בְּחִרְפָּה**, *cum opprobrio. פְעָרֹו עַלְיָ פִּיהָם בְּחִרְפָּה*. Aperuerunt adversus me os suum cum opprobrio, q. e. dicta in me probrofa eructarunt.

§. VII.

Tertium hujus sensus indicium ex verbis capio Matthæi; οἱ δὲ παραπορευόμενοι ἐβλασφήμων αὐτὸν, κινδύνες τὰς πενθαλίας αὐτῶν. *Præterentes conviciabantur ei, moventes capita sua.*

sua. Planum, credo, cuivis est, respexisse Evangelistam ad Ps. XXII. v. 8. יפטירו עלי Diducunt adversus me labium (synonyma est phrasis ei, quæ versu occurrit decimo quarto : פצץ עלי פיתח aperuerunt adversus me os suum) moventque caput, & de re nunc facta locutione partim synonyma, partim eadem plane, uti voluisse, qua rem aliquando eventuram prænunciasset Psalmes. Itaque illud ἐβλασφήμων prorsus respondet Habraicis : יפטירו בשפה, idem plane significantibus ac aperuerunt adversus me os suum, quod & mox sequitur. Quapropter Graeco verbo βλασφημῶν idem, sed explicarius & Gracisimo congruentius, dixisse censeri potest Matthæus, quod Scriptor hebraicus suis חפטיר בשפה, & פצח פה. βλασφημῶν vero quid sit notius est, quam ut explicari multis oporteat. Res ipsa docet, βλασφημῶν eos hic dici, qui verba in innocentem immerentemque effutiunt injuria, ac irrisio plena : quæ qualia tunc fuerint, ex ipso cognosci potest scriptore divino.

§. VIII.

Quod si igitur Graece & phrasí quidem affini Hebraicam formulam פצח עלי efferre forte quis velit, non invenio aptiorem, quam αὐτὸν ἔχει τινὰ, in ore aliquem habet.

64 Obs. IV. De formulis motitare caput,

habere, qua HOMERVS usus h) est, pro maledicere, convicium facere. En tibi verba :

Τῷ γὰρ ἀν βασιλῆας ἀνὰ σόμ' ἔχων ἀγορέουσι
- - καὶ σφιν ὄνειδεά τε προφέρουσι.

Quare ne reges in ore habens loquaris,
- - Et convicia ipsis ingeras.

Vbi quidem per ὄνειδεα προφέρειν statim explicatur illud ἀνὰ σόμ' ἔχειν, quod & aliquanto post alio modo sic effert poëta :

- - σὺ δὲ περιτομέων ἀγορεύεις.

Tu vero convicians loqueris.

Scholia parva ad illum locum : ἀνὰ σόμ' ἔχων.
λοιδορῶν. Διὸ γὰρ ἔχειν αἰτίη σε τὰς βασιλεῖς ἐπὶ σόματος ἔχειν καὶ λοιδορεῖν. Λοιδορῶν convicians.

Sensus est : Quare non oportebat te semper reges in ore habere & conviciari. Ad quem morem Cicero quoque Attico suo habent scribit in ore nos ingratos. Non prætereundus hoc loco nobis est usus phraseos פֶּתַח פָּה alias, quo idem valet ac votum verbis concipere. Quo sensu in historia usurpatur Jephtha i), qui heros אל פְּצִירֵי יְהוָה וְלֹא אָכַל לְשׁוֹב Ego, inquit, aperui os meum ad Jehovahm, nec possum revocare. Cui filia, pater mi, ait, si aperuisti os tuum ad dominum, fac mihi, quemadmodum ex ore tuo

h) Iliad. II, v. 250.

i) Judic. XI, 35. 36.

tuo prodiit. Vult Jephtha, verbis se expressis votum illud nuncupasse, nec concepisse tacite, ut mos erat gentibus nonnullis superstitionis, quæ nonnisi tacite vota concipiebant i). Affinem Judæorum recentium locutionem, פָתַח־אֹרֶת *apertio oris*, qua vel calumniandi accusandique materiam, vel & fiduciam in loquendo denotare solent, ne sim longior, studio prætermitto:

OBSERVATIO V.

DE AVRO TEMPLI PER
BABYLONIOS OBSCVRATO.

Ad Thren. IV, 1.

CONSPECTVS.

Verba: Quomodo obscuratum est aurum *cet. non tropice*, ut Grotius, Raschi & Clericus volunt, de viris principibus, sed proprie accipienda sunt, & que ac illa: Disjecti sunt lapides sacrarii *cet. §. I.* Intelligi vero debent de auro, quo parietes, laquear & pavimentum Aedis sacræ obducta. *§. II.* Quod aurum Judæi, nominatim Abarbanel & R. Juda Leo, justo faciunt crassius, tribus aureis, vel Siclo sacro, illud exæquantes. Judeorum canon de crassitate auri, quo vasæ sacra obliterata colligenda. *§. III.* Verbum עַמּוּ b. l. est ἀμαρεσθαι, in fusari, fuligine infici; quod auro templi in incen-

Pars VII.

E

dio

i) Docuit hoc pluribus Jos. SCALIGER ad TIBULLI L. II. & I. p. 154. & ad L. IV. eleg. V. p. 183.

כתוב
dio , quo exussere Babylonii , acciderat .
aurum eximum , purgatissimum & ad res inau-
randas aptissimum . §. IV.

§. I.

Novam disquisitionis materiam caput e-
iusdem carminis Jeremiani quartum v.i.
subministrat , ubi tristis exclamat vates :
אָבֹה וּוֹסֵם תְּזַהֵּב יִשְׁנָא הַכְתֵּם הַטּוֹב
obscuratum est aurum , immutatumque aurum
in signis præstantiæ ! Ad quæ hæc annotat
GROTIUS a) : „Per aurum principes in-
telligendi .” CLERICVS vero , qui vesti-
giis Grotii insistere solet : „Hic non viden-
tur respici vasæ & ornamenta aurea templi ,
„quæ Babylonii abstulerunt , nedum ut abje-
ctarent per vias a quovis auferenda . Intel-
ligendi optimi quique Jerosolymitanorum
„aut Regni Judæ .” Assumisse appetet u-
trumque , templum , præter vasæ & ornamen-
ta quædam mobilia , auro nullo superbiisse .
Alioquin enim causa intelligi potest nulla ,
cur ad metaphoram configuerint , cum quæ
eodem versu statim adjiciuntur , ad templi
materiam manifesto pertineant . Qui enim
תְּשַׂתְּפָנָה אֲבֹנִי
aliter intelligi possint hæc : בְּרָאֵשׁ כָּל חֶזְקִית
disjecti sunt lapides
sacrarii per capita omnium platearum , quam
de

a) Eundem in sensum R. Salamo quoque Isaacides
exposuit .

de lapidibus, ex quibus mœnia & parietes templi compositi, per plateas omnes a Babylonis eo consilio dispersis, ut eo difficilius instaurari posset ædificium, incendio nunc dirutum? Grotius quidem hæc quoque, quasi translate dicta, accipit de sacerdotibus & Levitis; sed Clericus, quam parum apte id fiat sentiens, intelligit proprie. „Hæc vero, inquit, videntur proprie intelligenda de lapidibus quibusvis, quibus ædificatum templo plum erat, qui non poterant auferri Babylonem. Igitur sunt fracti & sparsi inter ruanda urbis circumquaque.“ Recte quidem. At cur in prioribus a sensu proprio disceditur? Cur non aurum, æque ac lapides, ad sacrarium seu templum refertur, cuius tam diserta versu hoc fit mentio? Sed tollamus de medio difficultatem, quæ par illud interpretum præstantissimum, quo minus id facerent, impedivit.

§. II.

Verissimum utique est, Babylonios quicquid aureæ supelleculis in templo repereant, secum abstulisse. Enimvero auro præterea alio decoratum erat templum, quod loco moveri absportarique ægre poterat. Illud designo, quo undique fulgebant intrinsecus parietes Sancti juxta atque adyti, fulgebant etiam solum, sive pavimentum, atque laquear. Hæc nimirum singula tabulis par-

tim cedrinis, partim abiegnis, eleganti scul-
ptura ornatis, iisque auro obductis, insertis
hic illic lapillis pretiosis, tegi curaverat Sa-
lomo. Testes sunt historici sacri 1. Reg. VI,
15. seqq. & 2. Chron. V, 4. seqq. Quibus Jo-
sephum adjungimus, cuius verba non gra-
vabimur recitare b). τὰς δὲ τοίχους καθεῖναις
διαλαβὼν σανίσι, χρυσὸν ἀνταῖς ἐνετόργενευσεν, ὥστε
σὺλβην ἄπαντα τὸν ναὸν, καὶ περιλάμπεθαι τὰς
ὅψεις τῶν ἐισιόντων ὑπὸ τῆς ἀυγῆς τῷ χρυσῷ πα-
ταχόθεν Φερομένης. Parietes autem, cum ta-
bulis cedrinis eos incrusteret, cælatura ex
auro induxit, ita, ut templum omne fulgore
colluceret & illustraretur, atque oculos in-
gredientium perstringeret auri splendore un-
dique diffuso. Et post nonnulla: Κατέργεωσε
δὲ καὶ τῷ ναῷ τὸ ἔδαφος ἐλάσματι χρυσῷ. - - -
συνελόντι δὲ ἐπεῖν, γένεν ἔιστε τῷ ναῷ μέρος, γένε
ἔχωθεν, γένε ἐνδοθεν, ὁ μὴ χρυσὸς ἦν. *Quin & tem-
pli pavimentum petalis aureis instravit.* - - -
Atque ut summatim dicam, nullam templi par-
tem reliquit, aut intus aut extra, quæ non
erat auro illita.

§. III.

Illud vero aurum, cuius fuerit crassitie*i*,
etsi non definiunt sacræ litteræ, definire ta-
men audent Judæorum Magistri, tantam
fuisse

b) *Antiqu. Jud. L. III. cap. VIII. p. 423.*

fuisse contendentes, ut trium aureorum, quos *ducatos* vulgo appellamus, ex quaeverit erassit. Lubet hac super re Abarba-nelem audire differentem, unum e Doctoribus illis, quorum summa apud gentem re-cutitam auctoritas est. Sic vero ille c):

ולפי שזכר הכתוב שציפה שלמה את קורות הבית והתקרת וחקר��ע זהב ראי שנרע כמה מהذهب נכנס באותו צפוי ושלאה היה באותו הציפוי עין הזהב שעתה נוהנים לשוטם בברתום על העצים בbatis הרשים כי הוא רק מרוקוק ווועשו מרוא'קאו' אחד מאה שטחים וושימנו אותם על העצים רעל האבנים כאילו היה שטח שאין בו עובי וכמעט שאין בו ממש לא כן עשה שלמה בבית האלוהים כי היה זהذهب אשר היו מצפים אותו עב מאר יתחויב שהוזה הזהב : Nec multo post hoc
המצופר עב כען עובי שלזה ווק'אטס מוחבירס יוד שיעבים בעובי שקל הירוש *Quandoquidem ait scriptor sacer, Salomonem parietes templi, tabulatum atque pavimentum texisse auro; operæ pretium est, ut quantum auri obductioni isti insumtum fuerit, cognoscamus. Neque enim ea fuit auri ratiō, quæ nunc esse solet, quando principum in ædibus lignum incrustatur auro, quippe*

E 3

quod

c) In *Comment. ad I. Reg. VI. fol. 221.*

quod tenue est admodum. Nam ex aureo uno lamellam centuplo majorem efficiunt, quam ligno applicant & lapidi, ita, ut superficies appareat, absque ulla crassitie, parumque ab sit, quin nihil esse videatur. Longe aliter rem egit Salomo in Aede Dei. Etenim aurum obductioni adhibitum crassum fuit valde. - - - Consequens proinde est, aurum obductioni serviens sic satis fuisse crassum, ita, ut par esset aureis tribus junctim summis, quorum crassities illi siclii alicujus sacri æqualis est. Atque haec totidem fere verbis R. JUDA LEO d) repetit, cum, ex versione Sauberti, „Tectorium auri, inquit, quod „additum fuit parietibus templi circa pavimentum & solum, non fuit, sicut opus inauratorum, quod apud nos efficitur, in quo „solium est perquam tenue, ut fere nihil „quicquam in eo sit, propter mirificam subtilitatem, nec animadverti possit. Sed aurum tegimenti templi erat ex diductionibus laminarum gravissimarum: cuius densitas respondebat ad minimum densitati trium ducatorum, si alter juxta (potius supra) alterum collocetur.“ Quod si ita esset, vim sane auri immensam profudisse oporteret Salomonem in solos parieres, laquear & pavimentum exornanda. Nec dubium foret, quin Babylonii, copia auri capti, tabulas Aëdis

d) In Templo Hierosol. L. I. c. 10. p. 14.

dis omnes, locis suis avulsas, abripuiissent.
Est vero cur suspectam hac in re habeamus
Abarbanelis fidem, cui nec calculo, quem
iniit, consulitur. Ut enim intempestivam,
atque prorsus supervacuam, taceamus prodig-
entiam a rege, tanta instructio sapientia, vix
exspectandam, qui fieri, obsecro, potuisset,
ut afferibus, quibus multæ florum, colocyn-
thidum cet. insculptæ erant figuræ, tantæ
crassitiei aurum ita commode aptaretur, ut
ornamentorum istorum exsculptorum nihil
decederet profunditati, formæ atque elegan-
tiæ? Quare illam, quam jactat Abarbanel,
auri crassitiem crassum censeo mendacium.
Nexus vero est, si recte conjicio, Abarbanel
Doctorum Talmudicorum effato, qui altare
suffitus auro obiectum fuisse tradunt e) de-
narii habente crassitiem. מה מזבח הזהב
שאין עלי אלא כעובי דינר זהב כמה שנים
Quid igitur? cum in
altare aureum, cuius aurum non nisi denarii
aurei retulit crassitiem, per annos complures
ignis non sœvierit cet. Hoc enim posito,
facile Judæis est, ad aurum parietum concludere,
ex præscripto recepti apud eosdem ca-
nonis: רניין כלוי A vase (sacro) uno
(cognito) concludendum ad aliud (ignotum).
Hinc & asseres illos, ex quibus parietes con-
statabant tabernaculi Mosaici, auro tectos fu-
sse colligunt denarium crasso. §.IV.

e) In *Chagiga* f. 27. in fine libri.

§. IV.

Istud igitur aurum , cuiuscunque fuerit crassitiei, *obscuratum* esse dolet Jeremias : אַיִלָה וְעַם וְחוֹתֶב Bene Chaldaeus interpres : **דְּכִירָה עַמָּא דְּחַב בֵּית מִקְרָשָׁא** *Quomodo obscuratum est aurum Sanctuarii!* Optime etiam Græcus : πῶς αἰματωθήσεται χρυσόν, nisi quod pro Futuro rectius adhibuitset Præteritum aliquod, vel Indefinitum, ἡμετέρη : de re enim agitur præterita, non futura. Αἰματωθεῖται, nempe, convenientissimum huic rei verbum est, quoniam inter alia idem quoque valet , quod *infusari*. Hoc vero ipsum est, quod vult Jeremias, fuligine infectum esse aurum, quo parietes Sanctuarii fuissent oblii, atrorem illud contraxisse ex fumo flammisque, templo per Babylonios injectis, splendorem omnem amisisse. Pergit : יְשַׁנָּא הַכְּרָמָם immutatum est aurum eximiæ bonitatis. כְּהָם aurum esse præstantius, seu purgatissimum, quale ad inaurandas res cum primis aptum est, ex El. XIII, 12. & Cant. V, ii. colligitur. Atqui hujus generis illud erat, quo parietes Ædis sacræ obduci curavit Salamon, testante Scriptore divino 1. Reg. VI, 21. Non potuerat autem non mirifice immutari illud, ac nitore suo pristino privari , templi incendio , quando pars flammæ vi liquefacta , alia adusta atque infuscata.

OB-

OBSERVATIO VI.

DE PVERIS JV DÆORVM
CVM LIGNO IMPINGENTIBVS

Ad Thren. V, 13.

CONSPECTVS.

Vh b.l. non est scapus, seu manubrium molæ manuariae, ut credidit Bochartus. §. II. Sed lignum, quod pueros Iudeorum servos colligere & compor-tare coegerunt Babylonii, sive ad cremandum, si-ve ad ædificandum. Quæ opera, propter magnam lignorum in Babylonia raritatem, admodum dif-ficilis §. II. Demonstratur lignorum in Babylonia penuria Herodoti, Diodori Siculi, Strabonis & Thevenotii testimoniis. Frutices tamen, & pal-mas aliqua copia, tulit Babylonia. §. III.

§. I.

REjecimus modo, quod res ita postularet, expositionem magni G R O T I I aliquam; nunc aliam ejusdem confirmare animus est atque illustrare. Obscurus, judice CLERI-CO, & veteribus & recentioribus locus est Thren. V. 13. וְנִירֵי בַעַז כָּשֵׁלו. Et pueri cum ligno impingunt. SAM. BO CHART VS a) lignum de scapo molæ, seu manubrio inter-petatur: „Κώπην, inquit, τῆς μύλης Lucia-nus vocat molæ scapum seu manubrium, ut

E 5

„Theo-

a) Hieroz. P. I. L. II. c. 13. p. 188.

„Theocriti Scholia stes : b) Απὸ τῶν ἀλγύτων
 „καὶ τῇ πάπῃ τὰς μύλας ὠθήντων. Molile ap-
 „pellat Cato c). Et Jeremias d) ψ lignum.
 „Juvenes, inquit, molam truserunt, & pueri
 „ad lignum impegerunt, aut viribus fracti
 „sunt, præ nimio conatu. Ad lignum, id est
 „ad ligneum molæ scapum. Aben Esra :
 „בְּשֶׁל כָּחַ הַגְּרִים בְּתַחֲנָה עַזְּתָחָנָה. De-
 „fecerunt puerorum vires in movendo ligno
 „molitorio.” Grotius vero per lignum falces
 intelligit lignorum, sub quibus impegerint
 Judæorum captivorum pueri. Quam equi-
 dem interpretationem, modo ad majoris et-
 iam molis ligna extendatur, alteri illi præ-
 fero, quia primum obscurum esse conside-
 ranti haud potest, non unius sed duplicitis ge-
 neris laborem servilem, Judæis exilibus, æ-
 tate & robore florentibus, suscipiendum, lo-
 co illo commemorare voluisse Jeremiam,
 ut, quanta captivorum esset miseria, eo ap-
 pareret clarius. Jam molendi operam, il-
 lis impositam, verbis jam tum memoraverat
 proximis: בְּחֹרִים תְּחִזֵּן נְשָׂאָר, quæ sic inter-
 pretor: Juvenes molere i. e. molendi labo-
 rem sublinnet, suscipere atque ferre cogun-
 tur: Oportet eos molas circumagere tru-
 satiles. Huic igitur novum si adderet man-
 cipiorum Judaeorum laborem, eumque
 non

b) Ad Idyll. IV, 58.

c) De re rufi. c. 10.

d) Thren. V, 13.

non minus molestum, quem a pueris quoque, vel adolescentibus, exigerent Babylonii, facere utique hoc poterat ad magis declarandam duram Judæorum, sub jugo Babylo-nico, conditionem, quam repræsentare quam vividissime toto hoc libro Propheta studuit. Deinde parum veri est simile, *scapum*, sive manubrium molæ, pro mola positum esse tota. Pars adeo exigua pro toto si nuncuparetur, hæc vero loquendi ratio foret pau-lo insolentior. Fallor, aut dicturus potius fuisset Jeremias : **בְּאַבֵּן כְּשִׁלֹּו**, *in lapide, ad lapidem impingunt.* Ex lapide enim elabo-ratum esse solebat ipsum molarum trusatili-um corpus. Præterea latior multo est vocis **לְעָגָל** notio, quam ut ad illam auditores, vel le-ctores, de manubrio cogitare facile potuissent.

§. II.

Itaque longe mihi videtur convenientius, si lignum hic illud denotari statuamus, quod pueros vel adolescentes Judæorum, sérvos suos, colligere & comportare adegerunt Ba-bylonii, sive ad cremandum sive ad ædifican-dum. Quæ opera, si ingenium regionis con-sideremus, difficilis sane atque dura ad-modum debebit judicari. Magna enim li-gnorum in Babylonia erat raritas, qua fieri necesse erat, ut, qui illa in usus habitatorum Babylonis comportare cogebantur, onere pre-

premerentur gravissimo. Nam cursitandum eorum caufa huc illuc erat, per loca varia : ex operose conquitis fasces constringendi majores, ut in tempus aliquod sufficerent : hi per viam saepius longam in urbem vel ad locum destinatum alium, bajulandi. Aedificationi destinata ligna si essent, onus esse oportuit etiam gravius. Quid mirum igitur, si bajulis, onere laborantibus, crura sic debilitarentur ut inter portandum subinde impingerent laberenturque.

§. III.

Sed demonstranda nunc est illa, qua maxime hic nitimur, lignorum in Babylonie raris testimoniis idoneis. Primum esto HERODOTUS: Εἰς δὲ χωρέαν ἄυτη ἀπασέων μακρῷ αἴρειν, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Δημητρὸς παρπὸν ἐν Φέρειν. Τὰ γὰρ δὴ ἄλλα δένδρεα όδε πειρᾶται αἴρειν Φέρειν, όδε συκέν, όδε ἄμπελον, ότε ἐλάīν. Τὸν δὲ τῆς Δημητρὸς παρπὸν ὅδε αἴγαθῃ ἐν Φέρειν εῖται, ὅτε ἐπὶ διηκόσια μὲν τὸ παράπτων ἀποδιδοῖ. Hæc regio omnium, quas nos novimus, longe præstantissima est, ferendo certe frumento. Nam alioquin arbores nec omnino tentat proferre ; veluti ficum, vitem, oleam. Cereris autem fructu procreando adeo ferax est, ut

nus-

c) Lib. I. c. 193.

nusquam non ad ducena reddat. Tanta igitur lignorum cum esset penuria, asphalto multi, seu bitumine, pro lignis utebantur: quemadmodum hodie inferioris Germaniae habitatores glebis (Torff). DIODORVS Siculus: f) Πολλῶν δὲ καὶ παραδόξων ὄντων θεαμάτων καὶ τὸν Βαβυλωνίαν, ἃχ ηκίσα θαυμάζεται καὶ τὸ πλῆθος τῆς ἐν αὐτῇ γεννωμένης ασφάλτου. Τοσῶτον γάρ ἐστιν ὥσε μὴ μόνον ταῖς τεσσάραις καὶ τηλικάνταις ὁποδομίαις διαρκεῖν, ἀλλὰ καὶ συλλεγόμενον τὸν λαὸν ἀφειδῶς αἴρεσθαι, καὶ ξηραίνοντα καίειν αὐτὶν ξύλων. Multa sane Babylonia continet spectatu digna & admiranda: sed inter haec non minimum admirationis meretur bituminis copia illuc exsudantis, quae tanta est, ut non modo tot & tantis aedificiis sufficiat, verum etiam profuse a populo collectum, pro lignis siccatum cremetur. Porro STRABO etiam Babyloniam σπάνιαν τῆς ψῆλης καὶ ἀξυλίαν, lignorum penuriam diserte tribuit, obseruatque, propter illam trabes columnasque palmaceas ad aedificia adhiberi a Babyloniiis, domusque omnes forniciari g). Διὰ δὲ τὴν τῆς ψῆλης σπάνιν, ἐκ Φοινίκων ξύλων εἰς ὁποδομαὶ συντελεῦνται, καὶ δοκοῖς καὶ σύλοις. Περὶ δὲ τὰς σύλας σρέφοντες ἐν τῆς καλάμης χοινία πε-

ειται

f) Biblioth. histor. L, II. p. 71. edit. Steph.

g) Geograph. L. XVI. p. 1073. sq.

επιθέασιν. Εἰτ' ἐπαλείφοντες χεώμασι καταγέα-
Φόροι τὰς δὲ θύρας αὐτοῖς φάλτω. οψηλαι δὲ καὶ ἀν-
ται, καὶ οἱ ὄποι καμαρῶτοι πάντες διὰ τὴν ἀξυλί-
αν. Ψιλὴ γὰρ η κάσσα, καὶ θαυμάδης η πολλὴ
πλὴν Φόινικος. In Babylonia, propter lignorum
penuriam, e palmaceis trabibus & columnis
aedificia faciunt. Circa columnas funes, ex
contortis calamis confectos, ponunt : postea
illinentes coloribus pingunt. Portae bitumi-
natæ & altæ sunt tam ipse, quam domus, quæ
omnes, propter lignorum penuriam, forni-
cantur. Quippe regio, magna ex parte nuda,
nihil fert, præter frutices & palnam. Nec
alia est hodie regionis illius conditio. THE-
VENOTIVS h) saltem Mesopotamiam, Ba-
byloniæ vicinam, arboribus nudam esse re-
fert, seque ad Bagdadi urbem, quæ ab anti-
qua Babylone sesquidieci circiter itinere in
Septentriones distat, appropinquante, nul-
las amplius observasse filvas : Reperiri ta-
men in eo tractu frutices, speciatim cappa-
res silvestres, tribulos terrestres & palmas,
aliqua copia. Quod ipsum quoque descrip-
tioni consentaneum est veterum, sicuti par-
tim ex jam allatis Strabonis verbis, partim
ex his, quæ apud eundem statim sequuntur,
intelligitur ; Οὗτος δὲ πλεῖστος ἐν τῇ Βαβυλονίᾳ,
πολὺς

h) Itiner. p. II. L. I. cap. 13. & 14.

πολὺς δὲ καὶ ἐν Σάσοις καὶ ἐν τῇ παραλίᾳ Περσίδι,
καὶ ἐν τῇ Καρμανίᾳ. *Palma* & in *Babylonia*
& in *Susiana*, & in *ora Persiae*, & in *Carmania*
permulta est. *HERODOTVS* l. c.
Εἰσὶ δέ σφι Φόινικες περικότες ἀνὰ πᾶν τὸ πεδίον
οἱ πλευνεῖς ἀντέων παροφόροι· ἐν τῶν καὶ σιτίαν καὶ
διον καὶ μέλι ποιεῦνται· τὰς συκέων τρόπον θερα-
πεύσοι. *Sunt eis passim per omnem regionem* *palmæ sua sponte nascentes*, *pleræque fructi-
feræ: ex quibus & cibos & vinum, & mel*
conficiunt, colentes ficuum more. Itaque pal-
mas etiam fructiferas solum tulit Babylon-
icum, quas tum ad ædificia, tum ad ignem
alendum, fuisse adhibitas non videtur dubi-
tandum. Ex his igitur, vel & e fruticum
lignis, onera mancipiis Babylonii suis impo-
suerunt, ac ea quidem eo graviora, quo ma-
gise longinquò petenda essent ut plurimum.
Nam quæ in vicinia erant ligna, intra breve
procul dubio tempus fuerant absunta.

OBSERVATIO VII.

DE JVDÆORVM REGIONE
AD MARE NON SITA.*Ad Josephi L. I. contra Apionem p. 443.*

CONSPECTVS.

*Mirabile videri possit, negare Josephum, Judeos re-
gionem incolere mari vicinam, cum & Moses &
Jose-*

Josephus ipse alibi, ac Hieronymus quoque, mare
mediterraneum, limitem terræ Israëliticæ occiden-
talem ponant. Josephum in disputatione ad-
versus Apionem veritatem sectari maxime ope-
ratus. §. I. Locus Josephi ipse, ad lustrandas ur-
bes Palestinae maritimas potiores, ut quorum su-
erint appareat, invitans. §. II. In tribu Aseriti-
ca urbēs occurrunt maritimæ: Sidon, Tyrus,
Aesib & Acco, sive Ptolemais. Harum vero nul-
lam Phoenicibus eripere sibi vindicare value-
runt Iudei. §. III. Nec Dora, Manassitis sorte
affignata, possessionum Judaicarum pars fuit. §. IV.
Urbes maritimæ ceteræ hoc ordine a Josepho enu-
merantur: Stratonis turris, Apollonia, Joppe,
Jannia, Azotus, Gaza, Anthedon, Raphia, Rhinocolura. §. V. Turris Stratonis s. Cæsarea a
Græcis condita, & ab his atque Syris possessa. §. VI.
Quemadmodum & Apollonia. §. VII. Joppe Phœ-
nicum fuit. §. VIII. Jannia s. Jafne Philistæo-
rum. §. IX. Ad quos Azotus etiam §. X. & Gaza
pertinuerunt. §. XI. Anthedon, olim Idumæorum,
postea Romanorum, tandem Herodis urbs fuit, &
ab ethnicis magis, quam a Iudeis habitata. §. XII.
Raphia etiam Idumæos habuisse videtur dominos,
ac possessores. §. XIII. Nec Rhinocolura tenue-
runt Iudei. §. XIV. Conclusio. Deliciæ Judææ
marinæ quid sint? §. XV.

§. I.

PAradoxon facile quis reputet, cum negat
Josephus, gentem suam regionem colere
mari vicinam. Eosne enim a mari vivere
remotos, quorum terræ mare magnum, seu
mediterraneum, terminus constitutus fuerat

OC-

occidentalis? Constituit sane Moses a), qui, dum in definiendis Judææ limitibus versatur, inter cetera sic ait: **וְגַבּוֹל יִם וְחוֹחֶה לְכֶם :** **הִסְתֵּרְנֹול גָּבוֹל זה וְהִיה לְכֶם גָּבוֹל יָמָן**

Ad terminum occidentalem quod attinet, is vobis mare erit magnum. Hic, inquam, terminus occidentalis vobis erit. Quid? quod Josephus etiam ipse terræ Israeliticæ fines ad maris usque littus alibi extendit. Nam in sorte tribus Juda *Ascalonem & Gazam*, mari propinquam utramque, fuisse ait b): *Βεναμίνιτας τὴν ἀπὸ Ιορδάνου πόταμος λαχῶν ἄχει Θαλάσσης μὲν τὸ μῆκος, terram sorte habuisset, quæ a Jordane fluvio longitudine quidem usque ad mare pertingat: tribus Manaassitudinis partem dimidiari a Jordane usque Dora urbem, maritimam quidem illam: Isascharitas ad Carmelum usque montem (mare hic attingit): Zabulonitas a Gennesariti de lacu ad Carmelum & mare usque agros esse sortitos. Quæ vero regio post Carmelum sita sit, totam eam, ad Sidonem obversam, Aseritis cessisse, & in portione horum Arcen fuisse urbem, (erat hæc etiam παράλιος.) Idem alibi c) de Judæa, una ex regionibus illis tribus, in quas, stante templo secundo, terra cis Jordanem omnis divisa erat, sic pronunciat: Αφίενται δὲ γέδε τῶν ἐκ θα-*

Pars VII.

F

λασ-

- a) Num. XXXIV, 6. Cf. Jos. XV, 47. XVII, 9. 19.
- b) *Antiqu. Jud.* L. V. c. I. p. 276.
- c) *De bello Jud.* L. III. c. 3. p. 224.

λάσσης τερπνῶν ἡ Ἰδαία, τοῖς παραλίοις πατατεῖ-
νυστα μέχει Πτολεμαῖός. Sed nec marinis deli-
ciis caret Iudea, locis maritimis Ptolemai-
dem usque extensa. Adjungamus HIERO-
NYMVM, qui terminum terræ, quam vo-
cat, reprobationis ab occidente ipsum mare,
quod Palæstinæ (Philistæorum regioni) Phœ-
nicio, Syriæ Cœlo, Ciliciæque prætenditur,
pariter posuit. d) Hinc igitur quid mirum,
si creditum adhuc fuit constanter, regionem
a Judæis inhabitatam ad mare usque pertinu-
isse, numerarique propterea oportere in
maritimis. Dubitare tamen, credo, incipiet,
qui locum Josephi mox afferendum inspe-
xerit, cogitaritque, interfuisse & ipsius Jose-
phi, & totius gentis, permagni, ut in illa ad-
versus Apionem disputatione scriberetur ni-
hil, nisi quod vero esset consentaneum, aut
refelli saltē statim non posset. Ac sane, si
mentitus hac in re Josephus esset, adeo in
oculos incurrente omnium, nonne redar-
gui statim potuisset ab omnibus, causamque
suam universam in finistram apud exterios
suspicionem adducere? Qui una in re, ea-
que manifesta, fidem decoquirit, raro is inve-
nit in aliis, apud eos præsertim, qui scriptori-
i non modo non favent, sed & causam
quam stabilire & firmare instituit, labefacta-
tam cupiunt maxime.

§. II.

d) In epist. ad Dardanum.

§. II.

Sed exhibendus est locus Josephi ipse, qui disquisitioni huic ansam præbuit. Ήμεῖς τοινυν ὅτε χώραν ὀικήμεν παράλιον, ὃτε ἐμπορίας χαιρόμεν, ὃδε ταῖς πρὸς ἄλλας διὰ τότων ἐπιμιξίαις. ἀλλ' εἰσὶν μὲν ἡμῶν ἀι πόλεις μακρὰν ἀπὸ Θαλάσσης ἀπωνιστέμενοι, χώραν δὲ αγαθὴν νεμόμενοι τάυτην ἐκπονῶμεν. μάλιστα δὲ πάντων περὶ παιδοτροφίαν Φιλοκαλεῦντες, καὶ τὸ Φυλάσσειν τὰς νόμους, καὶ τὴν κατὰ τάχτας παραδεδομένην ἐυσέβειαν, ἔργον ἀναγκαιότατον παντὸς τῆς Βίζ πεποιημένοι. Προστάσις τούνυν τοῖς ἐιρημένοις καὶ τῆς περὶ τὸν Βίον ἡμῶν ἴδιοτητος, ὃδὲν ἢν τοῖς παλαιοῖς χρέονοις τὸ ποιῆν πρὸς τὰς Ἑλληνας ἡμῖν ἐπιμιξίαν, ὥσπερ Αἰγυπτίοις μὲν τὰ παρέ ἀντῶν ἐξαγόμενα, τοῖς δὲ τὴν παράλιον τῆς Φινίκης κατοικοῦσι, ἡ περὶ τὰς καπηλειας καὶ τὰς ἐμπορίας σπεδὴ, διὰ τὸ Φιλοχεηματεῖν.

Quæ sic reddidit H V D S O N V S :
Quod ad nos attinet, terram habitamus, quæ neque mari vicina est, neque negotiationibus gaudemus, neque earum caussa nobis consuetudo cum aliis gentibus est. Sed sunt urbes quidem nostræ procul a mari sitæ; ipsi autem nos regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus: maxime vero omnium liberis educandis studentes, & legum custodiæ, ut qui pietatem, ad illas exactam, opus torius

vitæ maxime necessarium fecerimus. Cum igitur ad ea, quæ dicta sunt, accedat etiam vivendi ratio propria, nihil erat priscis temporibus, quod ficeret nobis commercium Græcorum, sicut Ægyptiis mercimonia ex rebus, quæ importarentur aut exportarentur ad alias gentes, & Phœnicibus oram maritimam accolentibus, cauponandi ac negotiandi studium, ex amore pecunia. Itaque Josephi si ducamur auctoritate, Judæos neque priscis temporibus, neque recentiori ævo, urbes habuisse credemus ad mare positas. Quod rectene credatur, an secus, instituti nostri est dispicere. Exsequi autem propositum optime fortassis poterimus, si urbes Palæstina maritimas omnes, vel potiores saltem, percensemus, &, missis rebus ceteris, quas satis diligenter atque accurate jam exposuerunt alii, quos possessores habuerint habitatoresque, investigemus.

§. III.

Quod si igitur a septentrionalibus initium faciamus, easque lustremus terras, quæ tribui Aseriticæ sorte fuerunt assignatae e), occurrent in his urbes mari adsitæ sequentes : *Tyrus, Acsib, & Acco, sive Ptolemais.* At harum sane nulla est, quam vindicare sibi valuerint Aseritæ. Nam SIDON, urbs munita, potens atque opulenta, Phœnicum fuit perpetuo, quos Aseritæ nunquam inde potuer-

e) Jos. XIX, 28. seqq. Jud. I, 31.

tuerunt expellere. Φυλὴ Ἀσῆε ἐνλήσθωτο ἀλλ᾽ ἐπὶ ἔχησεν ἀυτῆς τὰς ἄλλοφύλας ή Φυλὴ Ἀσῆε. Cecidit Sidon in sortem tribus Aser, sed eam non possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere, scribunt Eusebius atque Hieronymus. f) Idem plane dicendum de Tyro, quam pariter Phœnicibus eripere Israëlitæ potuerunt nunquam. Succedit ACSIB (אַכְזִיב), quæ & ECDIPPA appellata fuit, ore quidem Chaldaeorum Syrorumque, quibus solenne est et mutare in Ἔ, sic ut ex Ακρίβιβ fieret, vel Ακρίβα. JOSEPHVS g) τι τῶν παραθαλασσῶν χωρίων, ὡναλάται Ευδίππων, locum quendam vocat maritimum, cui nomen Ecdippa. Idem loco alio h) urbem hanc Arcen appellat. Άργη δὲ inquit, ἀσλις ὑπέρεχεν αὐτῶν ἐν τῇ μερίδι, ή καὶ Αντιπόλες. Vrbs autem Arce in eorum, Aseritarum, portione erat, quæ etiam Actipus nuncupatur. Refertur autem hæc etiam a scriptore libri judicum ad ea loca, quæ occupare Israëlitæ nequiverunt. Supereft eadem in tribu ACCO, Græcis & Lat. Αἴγη, Ace, cui postea ex Ptolemaeo, Ægypti rege, Ptolemaidis tributum nomen est. Reliquerunt vero Judæi & hanc intactam, sicuti eodem sacri

F 3

scri-

f) In Onomast. & Locis Hebr. Voce Sidon. Cf. locum Libri Jud. cit.

g) De Bello Jud. L. I. c. 13. p. 84.

h) Antiqu. Jud. L. V. c. 1. p. 277. ubi conferri meretur doctissimi BERNARDI annotatio.

scriptoris ex testimonio apparet, Cananæi s. Phœnices possederunt constanter, unde & STEPHANO i) πόλις Φοινίκης dicitur. Hanc inter & Ecdippa, sive Arcen, intervallum erat IX. milliarium, Eusebio & Hieronymo testibus. Judæi recentiores quod viæ, Ptolemaide Acisbam ducenti, ad dextram erat, ad terram Israëliticam pertinere censuerunt, k) non item, quod ad sinistram. Ex quo patet, oram maritimam omnem, quæ utramque inter urbem procurreret, ditionis Judaicæ haud fuisse.

§. IV.

Subjungenda his DORA est, attributa quidem Manassitis l), sed ab his non expugnata. Quocirca & JOSEPHVS in Phœnice ponit. m) τῆς μὲν Φοινίκης παρὰ τὸ Καρμέλιον ὅρος Δῶρα πόλις ὄνομάζεται. In Phœnice juxta montem Carmelum, civitas Dora appellatur. STEPHANVS n) etiam πόλιν Φοινίκης nuncupat, ac de ea ex Claudio Jullo, Phœniciorum scriptore, hæc affert, in rem nostram maxime facientia. Μετὰ Καισάρειαν Δῶρα κεῖται, βραχεῖσα πολιχνη, Φοινίκων ἀντής ὁμεθύλων, ὃι διὰ τὸ ὑπόπτερον τῶν τε ἀγιαλῶν, καὶ τὸ πορφύρας γόνυμον, συνελθόντες, καλιστές ἀντοῖς ὠκοδομήσαντο, καὶ περιβαλ-

i) De urb. & pop. p. 50.

k) In Schevith Hieros. f. 36. c. 2.

l) Jud. I, 27.

m) Contra Apionem L. II. p. 478.

n) In Fragmento de urb. & pop. p. 747. & sqq.

εἰβαλλόμενοι χάρακας ὡς ὑπήνυμον αὐτοῖς τὰ τῆς
ἐργασίας, τεμνόμενοι τῆς πέτρας, διὰ τῶν ἐξαιρε-
μένων λίθων τὰ τείχη κατεβάλοντο. Καὶ τὴν ἔνορ-
μον χηλὴν ὅπως τε ἀσφαλῶς ἔθεντο, ἐπώνυμον αὐ-
τὴν τῇ πόλει τῇ πατρῷ γλώσσῃ Δῶρα καλεῖντες.
Post Cæsaream (in Septentrionem) sita sunt
Dora, exiguum oppidulum, habitatum a Phœ-
nicibus, qui, propter saxosum inferne littus
& purpura fœcundum, ibi convenerunt,
gurgustia, sive casas, sibi struxerunt & cir-
cumdederunt fossis. Quod ubi bene successit, se-
cuerunt petram, & ex lapidibus inde petitis
muros fecerunt, & pilam navibus commodam;
patriaque lingua Dora appellarunt, quod &
urbis nomen est. Addimus his quæ eadem
de urbe doctissimus antiquarius, V A I L-
L A N T I V S o), commentatus est: „Dora fe-
„minini generis, vel neutrius in plurali, urbs
„Phœniciae, a Doro Neptuni filio nomen
„habuit, si Artemidoro apud Stephanum
„fides, sed Scylaci Δῶρος Σιδωνίων πόλις, Dora
„Sidoniorum urbs. Hæc antiquissima, utpo-
„te quæ proprios olim reges habuerit, Pto-
„lemæis post Alexandrum paruit; illam An-
„tiochus Deus Epiphanes, Syriae rex octa-
„vus, ei adjecit & in illa templum Διὸς Ολυμ-
„πίας exstruxit, ut nos docent urbis nummi,
„quam ideo sacram & inviolabilem esse vo-

F 4

„luit:

o) In numism. Imper. a populis Graecæ loquentibus
percussorum p. 213.

„luit: Pompejus ei Autonomiam concessit. „
 Ex his igitur facile intelligitur, cur in num-
 mis, quod idem observavit Vaillantius, urbs
 vocetur ΔΩΡΟΣ ἸΕΡΑ, ΑΣΤΛΟΣ, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ,
Dora sacra, inviolabilis, suis legibus utens.
 Addi etiam solet vox NATARXIS, qua urbs ap-
 pellaatur, quæ classi provinciæ præterat, seu
 quod Nauarchus in provincia ab Imperato-
 re constitutus, qui maritimas ejus partes a
 piratis defenderet, in ea staret; seu quod
 Imperator stationem navium in urbe habe-
 ret. Hinc igitur satis liquidum est, Dora
 possessionis Judaicæ haud fuisse.

§. V.

Quæ in littore sequuntur urbes, ad austra-
 les usque Palæstinæ fines, eas hoc ordine enu-
 merat JOSEPHVS p), quem nos seque-
 mur: *Stratonis turris, Apollonia, Joppe,*
Jannia, Azotus, Gaza, Anthedon, Raphia,
Rhinocolura, urbes vocans Syrorum & Phœ-
 nicum. Ex quibus licet aliquas subinde ce-
 perint Judæi, imo singulas etiam sibi subjece-
 rit Alexander Jannæus, Judæorum rex &
 Pontifex, ut refert Josephus l. c.; minime ta-
 men pulsi inde fuere coloni veteres, sed
 una illuc cum Judæis habitarunt, adeo, ut
 pars habitatorum etiam maxima constaret
 postea vel ex Phœnicibus, vele Syris Græcis-
 ve, vel ex Idumæis, vel denique e Romanis.

§. VI.

p) *Antiquit. Jud. L. XIII, c. 15. p. 674.*

§. VI.

Prima igitur est **TYRRIS STRATONIS** q), qua uti ab homine Græco primum fuit condita ; ita ab ethnicis inhabitata fuit semper. Herodes quidem Judæorum rex mirifice illam instauravit, & in honorem Augusti, qui illam donaverat, *Cæsaream* nuncupavit ; sed, ut recte pronunciat **CELLARIUS** r), ethnicam civitatem potius quam Ju-daicam condidit. Syri enim atque Græci erant habitatores plurimi, ac tum quidem soli, cum priscum urbs adhuc gereret nomen ; postea vero Judæis quidem mixti ; at numero tamen eisdem superiores. Ex quo factum, ut sub bellum ultimum gravi clade se invicem affecerint utriusque generis incolæ, ethnici ac Judæi, postquam de jure civitatis, ex æquo participando, gravis inter illos orta esset contentio. Nam Judæi quidem primas sibi deserri volebant, quod rex illorum Herodes, Cæsareæ conditor, genere fuerit Judæus, Syri vero, qua ad Herodem quidem spectabant, non inficiabantur, sed ajebant, urbem antea Stratonis turrim appellatam, & tunc Judæorum neminem in

F 5

urbe

- q) In hac appellatione *turris* vocabulum *mumimentum*, s. propugnaculum, designare arbitror : qua potestate sæpius illud pollet, cum in scripruris diuinis, tum apud scriptores veteres alios.
- r) *Notit. orbis. ant.* II. p. 522.

urbe fèdes habuisse s). JOSEPHVS t) ea propter Cælaream μεγίσην τῆς τε ἰδαῖας πόλιν, καὶ τὸ πλέον υφ Ελλήνων ἐποιημένην, urbem vocat *Judææ maximam*, & majori ex parte a *Græcis inhabitatam*. Quo quidem loco *Judææ* urbem accenset Jolephus, quam alibi in *Phœnices* urbibus numerat, quod & Strabo fecit.

§. VII.

APOLLONIAM ipsum nomen arguit a Græcis esse vel primum conditam, vel instauratam saltem. Quando id nomen facta sit, inquit **CELLARIUS** u) incertum est: nec vero dubium, a Macedonicis vel Syriæ vel Ægypti regibus accepisse. Hi enim de illa maritima ora inter se armis decertarunt. Fortassis autem nomen loco dedit Apollonius ille, Demetrii Syrorum regis prætor, qui Jonathan Maccabæum provocavit, ut in plano secum confligeret, & cum quo prope Joppen manum postea conseruit idem pontifex x). Qui vero condiderunt, vel instaurarunt, suæ etiam procul dubio gentis hominibus dederunt inhabitandam.

§. VIII.

s) Verbis utimur Josephi, qui fusius rem narrat *Antiquit. Jud.* L. XX. c. 8. p. 973. Cf. & *de bello Jud.* L. II. c. 13. p. 178.-

t) *De bello Jud.* L. III. c. 9. p. 250.

u) *Notit. orbis ant.* p. II. p. 524,

x) I. Maccab. X, 70. Cf. Josephum *Antiqu. Jud.* L. XIII. c. 4. p. 640. seqq.

§. VIII.

JOPPE. Hanc ne assignatam quidem tribuum Israëliticarum ulli fuisse reperimus. Resertur quidem vulgo ad tribum Daniticam propter Jof. XIX, 47. Sed non dicuntur ibi fines Danitarum ad Joppen ipsam pertigisse, ita, ut hanc urbem simul includeant, sed tantum desisse מַוֵּל יְפָא, e regione & ex opposito *Joppes*. Huc ligna, ad templi aedificium adhibenda, ratibus ut transferrentur, curaturum se promittit Hiram, Tyriorum rex y), quo terra inde deportari possent Hierosolyma. Ex quo tamen non consequitur, portum hunc in ditione fuisse Salomonis regis; nec impedit quidquam, quo minus Phoenicum tunc fuisse urbem statuamus. Ac revera fuisse **STEPHANVS**, z) ex Philone docet, qui, cum ipse homo esset Phoenicius, Biblio quippe oriundus, scire optime potuit, cuius ditionis urbs esset, Phœniciæ an Judaicæ. Nec videntur Judæi urbem tenuisse unquam, nisi Hasmonæorum & belli Rom. tempore, quo illam quidem per intervalla occuparunt, sed & rursus amiserunt, sicuti passim narrat Josephus. Judæ Maccabæi ætate numerum Judæorum illic habitantium 200. confecisse, ex Maccabæorum patet historia. Leguntur enim habitatores ceteri Judæos apud se incolentes omnes, in naves per dolum allectos, aquis

mer-

y) 2. Chron. II. 16.

z) De urb. ac pop. p. 329.

mersisse a). Quam tamen perfidiam gravi-
ter ultus est Judas Maccabæus , succenso
Joppes portu, navibus quæ stationem ibi ha-
bebant exustis , trucidatisque hominibus ,
quotquot in portu reperiebantur , universis.

§. IX.

JAMNIA , quæ in sacris litteris vocatur **Jabne**, Philistæorum urbs fuit, ad Vsiam usque regem , qui mœnia ejus diruit b). Ju-
dæ Maccabæi ætate, Jamniam incolas nonnullos Judæorum e gente habuisse , ex eo li-
quet, quod Jamnienses eosdem, quibus Jop-
penses usi erant , dolos adversus illos com-
molitos esse, rerum Maccabaicarum scriptor
l. c. narrat. Ac mixturam quidem illam, Ju-
dæorum & alienigenarum, ad Philonis usque
Judæi ævum perdurasse, ex hoc ejusdem dis-
cimus testimonio c) : ἡ ἀμνεια πόλις ἦστι τῆς
Ιεδάίας ἐν ταῖς μάλιστα πολυανθέωποις. Ταῦτην
μηγάδες οὐκῶσιν οἱ πλείους μὲν Ιεδάίοι, ἔτεροι δέ τι-
νες ἀλλόφυλοι παρεσφθαρέντες ἀπὸ τῶν πλησιο-
χώρων, οἱ τοῖς τρόπον τινὰ αὐθιγενέσιν ὕντες μέτοι-
κοι, καὶ πάλι πράγματα παρέχοσιν, αἵ τι παρε-
λύουντες τῶν πατέρων Ιεδάίοις. **Jamnia urbs est**
Judææ ex illis, **que hominibus maxime opulente**
sunt. **Hanc mixti incolunt Judæi plerique**
& alienigenæ, **qui subrepserunt e regionibus**
vicinis, **qui simul habitantes cum iis**,
qui certo quodam modo dici possint indigene,
mul-

a) 2. Maccab. XII, 4.

b) 2. Chron. XXVI, 6.

c) De legat. ad Cajum p. 790.

multum illis negotii faceſſunt, ſemper aliquid molientes adverſus patrios Iudeorum ritus. Tametſi vero Jamniam junctim cum alienigenis colerent Judæi: tamen commerciis illos nullam curam operamque impendiffe, ex eo potest colligi, quod Judas Maccabæus, portu Jamnienium navibusque succenſis, dānum inferre voluit non popularibus ſane ſuis, ſed iis, qui perniciem hiſ truxerant. Quod idem de aliis quoque valet urbibus Palæſtinæ maritimis, in quibus ſedem una cum gentibus habuerunt Judæi.

§. X.

AZOTVS, in ſacro codice Aschdod. Hæc tribui quidem Judæ ſorte adjudicata d), Philistæis vero penitus erepta nunquam; ex quorum urbibus quinque nobilioribus una hæc fuit. Viſias quidem rex mœnia ejus ſubvertit, e) urbem vero iſlam ad poſſeſſionem ſtabilem & certam genti ſua non tradidit. Nam Hasmonæis imperantibus τῶν ἀλλοφύλων, alienigenarum, h. e. Philistæorum adhuc fuit, & a Juda demum capti f). EPHIPHANIVS g) etiam Ἀξωτον πόλιν Ἑλλήνων vocat πατα θάλαſſαν urbem Græcorum, ſeu ethnicorum, juxta mare.

§. XI.

GAZA. Fuit hæc etiam ex urbibus Philistæo-

d) Jof. XV, 47.

e) 2. Chron. XXVI, 6.

f) I. Maccab. V, 68.

g) De vitiis prophet. in vita Jonæ p. 581.

storum præcipuis, occupata quidem sæpius a Judæis, ut sacræ litteræ & Josephus docent passim, at permitta tamen semper ethnicis colenda. Quocirca & JOSEPHVS h) ἐλληνιδα illam appellat.

§. XII.

ANTHEDON. De hac STEPHANVS: πόλις πλησίον Γάζης πρὸς τῷ παραλίῳ μέρει, urbs prope Gazam ad partem maritimam. Idumæorum fuerat olim, ut colligi fas est ex Josepho i). Alexander vero Jannæus vi eam expugnavit k). A beo tempore deserta fere videtur suisse, donec Gabinius illam, cum urbibus nonnullis aliis, habitari jussisset l). Augustus postea Cæsar Anthedona quoque addidit regno Herodis m), qui pristinum nomen in illud Agrippiadis commutavit n) Ethnicis tamen magis quam Judæis suisse incultam, ex nummo cognoscitur, Caracalla Imper. ætate percusso, qui Anthedonis symbolum exhibet sub habitu, ut opinatur PATINVS, qui & nummum exhibet o), Astartæ Veneris, quæ in Syria summo cultu colebatur.

§. XIII.

h) *Ant. Jud.* L. XVII, c. 13.

i) *Ant. Jud.* L. XIII, c. 15.

k) Id. L. XIII, c. 13.

l) Id. *de bello Jud.* L. I. c. 8. p. 70.

m) Id. *Ant. Jud.* L. XV, c. 7. p. 761.

n) Id. *Ant. Jud.* L. XIII. c. 13. & de B. *Jud.* L. I. c. 4.

o) In *Imper. Rom. numismat.* æn. p. m. 307.

§. XIII.

RAPHIA claritatem adepta ex prælio, inter Antiochum M. & Ptolemaum quartum commisso, de quo POLYBIUS p), qui & situ loci indicat : Ραφία νεῖται μετὰ Rhinocerorum, περὶ τῶν κατὰ κόιλην Συρίαν πόλεων ὡς πρὸς τὴν Ἀιγύπτιον. Raphia Cœlen Syriam ex Aegypto petenti post Rhinocorura occurrit, prima omnium e Syriacis. Videtur & hæc Idumæos olim habuisse dominos ac possessores. Cepit postea ac fortasse diruit Alexander Jannæus, instauravit vero Gabinius q).

§. XIV.

Postrema omnium RHINOCOLVRA est, quam DIODORVS SICVLVS r) νειμένην dicit πρὸς τοὺς μεθοξίους τῆς Αἰγύπτου καὶ Συρίας, & μακραν τῇ παρέχοντος ἀγριαλῇ, sītam in confi- niis Aegypti & Syriæ, haud procul a vicino littore. Hanc a Judæis inhabitatam fuisse, non reperimus. Primi possedere prædones illi, quos Actianes, Aethiopum rex, Aegyptum dum invaderet, naribus abscissis, eo relegavit, Strabone & Diodoro referentibus. Tandem Phœnicum in potestatem venisse oportet ; hi enim illa pro emporio usi sunt ad recipiendas merces, ex Arabia aliisque regionibus advectas. STRABO s) : Εὐ μὲν δὲ τῆς Λευκῆς εἰς Πέτραν, ἐντεῦθεν δὲ εἰς Rhinocerorum τῆς Αἰγύπτιων Φοινίκης τὰ Φορτία πομίζεται, παν-

p) Histor. L. V, c. 80.

r) Bibl. hist. L. I.c. 60.

q) Vid. Josephum ll. cc.

s) Geogr. L. XVI. p. 1128.

τεῦθεν εἰς τὰς ἀλλαγές. Ex albo pago Petram, ex Petra Rhinocolura, quae in ipsa Phœnicia est, apud Aegyptum, merces solebant portari, atque hinc in alia loca.

§. XV.

Apparuit, credo, satis ex inito recensu, urbes Palæstinæ maritimas ab Judæis vel nunquam, vel brevi tantum tempore, vel ita falso tem fuisse possellas, ut una possederint alieno ritui addicti, sive Phœnices, sive Syri, sive Græci, sive Romani, sive Philistæi, sive Idumæi. Et quoniam ii, qui urbes tenent littorales, agrum simul tenere solent juxta eas patenter; hinc vere utique scribere potuit Josephus, gentem suam terrain habitare mari non vicinam, urbesque incolere procul a mari sitas. Judicari indidem simul potest, quo sensu capi hoc debeat, cum scriptores sive sacri, sive alii, Judæorum regionem, tanquam ad mare pertinentem mediterraneum, representant. Josephi τὰ ἐκ Θαλάσσης τεπνά, sive delicias marinas Judææ, τοὺς παραλίους Ptolemaidem usque extensæ (Vid. §. I.) non de tractu ad ipsum maris littus exorrecto, sed de rebus intelligo jucundis, ex mari vel per mare apportatis, sive sint pisces, sive merces, sive alias generis suavia & jucunda, quibus Judææ habitatores, ob distantiam maris non adeo magnam, perfrui absque labore aut sumtu magno potuerint.

FINIS PARTIS SEPTIMÆ.

JO.



JO.GOTHOFR.LAKEMACHERI
OBSERVATIONVM
PHILOLOGICARVM
PARS OCTAVA.

*OBSERVATIO I. *)*
DE RITIBVS FORMVLISQVE
PRECVM PHARISÆI ET
PUBLICANI

Ad Luc. XVIII, 9. sqq.

CONSPECTVS.

Propositi ratio. Parabola quid? Modus docendi per parabolas Christo, & doctribus Judaicis, usitatis-

-
- *) Exercitatio est academica, quam suceptis *Respondentis*, quem vocant, partibus, d. 6. Dec. 1730. publice tuitus est Juvenis præclara eruditione atque doctrina, ERN. LUDOV. RATHLEFF, Hanoveranus: de quo repeti hic velim quæ in fronte partis VII. perscripsi. Gratulatus ea occasione
Pars VIII. G sun

98 Obf. I. De ritibus formulisque precum

tissimus. An vere gesta res illa sit ? §. I. Publi-
canus precans non tanquam gentilis, sed tanquam
Iudeus introducitur. §. II. Referri preces illæ
com-

sum Viro plurimum Rev. atque doctissimo, NI-
COLAO MICH. ZIMMERMANNO, Meinersen-
sium in Ducatu Cellensi Pastori optime merito,
de privigno hoc præstantissimo hac epistola :
*Reddimus nunc TIBI filium, quem institutione
nostræ commiseras, Vir plurimum Reverende, post-
quam is triennium, & quod excurrit, ita in Aca-
demia hac exegit, ut ingenii præstantis, diligen-
tiae singularis, doctrinæ & virtutis eximiæ lau-
dem ab omnibus reportaverit. Contigit Ipsi, (quod
nescio an contingere soleat multis, quorum paren-
tes munus administrant sacrum) ut Tuis etiam
consiliis, preceptisque paternis, ad disciplinas phi-
lologicas, quarum amore vehementer illum ca-
ptum sentiebas, non perfundatoria, sed exquisita o-
pera excolendas magis impelleretur. Qua in re-
dum, maxima animi incitatione atque alacritate,
morem Tuæ semper gesit voluntati : effectum sa-
ne est, ut litteraruu Hebraicarum, Chaldaicarum,
Syriacarum & Arabicarum notitiam consecutus
sit prorsus egregiam. Placuit vero Ipsi, quum ne-
que TIBI id displicere intelligeret, Rabbinos quo-
que, imo ipsos Doctores Talmudicos, Gemaricos
juxta atque Mischnicos, quos, tanquam horridos,
angue pejus plerique fugirint, cominus salutare, &
ex iis, que fuerit in ecclesia Judaica antiqua re-
ligionis & doctrinæ, cum sacra tum civilis, ge-
nuina facies, accurate discere. Creditur vulgo hoc
litterarum genus plane infructuosum iis esse, &
quibus, ut e suggesta populum erudiant, offici rati-*

commode possunt ad suffitum vespertini tempus.
Preces cum suffitu quare conjungendas statuerint
Iudei. Respicitur alluditurque ad illum morem

G 2

in

tio exigit. At hoc quam falso credatur, disserta-
tione præsenti manifestum facere voluit filius Tuus
eruditissimus, cuius diligentia quicquid forte bo-
narum rerum hic congestum reperies unice debe-
tur. Nam quæ ad illustrandam pericopam ali-
quam ex earum numero, quæ statu quoannis tem-
pore gregi Christiano exponi solent publice, eodem
ex genere Ille attulit, talia profecto sunt, ut non
possint non multum prodeßse iis, quibus ea, quam
dixi, expositio incumbit, ac magis fortasse condu-
cere, quam libri illi vulgares, ex quibus, post illa
studia neglecta, inscitiae sua solamen querere co-
guntur imperiti ac inertes. Et quemadmodum
Tuo potissimum jussu argumentum hoc ex anti-
quitate declarandum sumis: ita, ut Tuæ satisfa-
ceret exspectationi, enixe allaboravit, studioſiffime
perquirendo & investigando ex antiquis monu-
mentis, nec minus apte, ut factum vides, dispo-
nendo ea, quæ ad institutum pertinere videban-
tur. Nec dubium est, quin, more suo, solerter at-
que strenue defensurus in arena sit quæ posuit, vi-
ctoriam sibi jam ominatus præclaram ex fausto,
quod Parens gerit Optimus, Nicolai nomine, cui
dies crastinus, confictu ab Ipso destinatus, in fa-
stis sacer est. TV, Vir plurimum Reverende, &
doctrina varia instructissime, gaude nunc de filio,
in quem non vitrici, sed animo affectus es vere
paterno, & curarum, vigiliarum sumtuumque, Ille
educando perpoliendoque impensorum, fructus ex
eo collige excuberantes. Vale mibique fave. Scri-
bebam in Academia Julia, ad d. V. Dec. MDXXX.

100 Obs. I. De ritibus formulisque precum

in N. quoque Test. §. III. Ritus & formula precandi Phariseo & publicano communes. Orat in templo uteque, & stando quidem; præmittit precibus Dei nomen uteque. Subjiciuntur singulorum rationes. Judæi epitheta Dei in precibus cumulabant, perinde ac Græci. §. IV. Verbum προσένεγκται ad illam precum referendum speciem, quam בָּרוּךְ vocare solent Judæi. Preces suas non clara voce, sed miffitando recitat Pharisæus, & quare? Confuetudo murmurandi preces unde originem cepit. §. V. Pharisæi preces arrogantia plena. Virtutes tantum suas commemorat homo, peccata reticet, ex more sectæ. §. VI. Publicanus quo templi in loco steterit, quoniam item Pharisæus, & quomodo ille ab hoc potuerit conspicere? §. VII. Vultum inter precandum demisit publicanus. Quem gestum ipsi etiam Sapientes Judæorum antiqui orantibus commendarunt, appellantes כּוֹכֵר רַאשׁ. Idem Mohammedanorum mos est. Rationes gestus duæ. Solebant tamen Judæi ad Dei nomen vultum attollere, sicuti & faciem, dum preces funderent, adadytum templi convertebant, ut Mohammedani oratorium Meccanum versus dirigunt. §. VIII. Ritus tundendi pectus & moribus orientalium explicatur. §. IX. Publicanus, dum peccatorem se fassus est, & brevis fuit, id egit, quod doctores jussere sapientiores, saltē, quod ad posterius attinet, homines plebeios, aut minus facundos. Christus loquacitatem Pharisæorum reprehendere voluit. §. X.

§. I.

D^Vas mihi in disquisitione hac præfixi leges: alteram, ut iis tantum ritibus for-

mu-

mulisque explicandis inhæream, quas Pharisæus & publicanus in precibus suis adhibueret a); alteram, ut rituum simul rationes, sine quibus exanimi mihi videtur totum antiquitatis studium, quoad ejus fieri poterit, investigem. Ante vero, quam rem aggrediar, generatim nonnihil observandum duco de illa, cuius partem aliquam illustrare decrevi, Christi narratione. Hanc nimurum scriptor divinus παραβολὴν appellat: quam vocem triplici, imo quadruplici significatu in N. T. novimus occurrere. Primum enim idem illa est, quod ἀπόφθεγμα: deinde dictum quoque notat obscurum: tum παραβολὴν, ac denique sermonem quoque prolixiorum, quo refertur aliquid rei, de qua agitur, simile. Cujusmodi sermone frequentissime inter docendum usus est Servator optimus, ingenio gentis & consuetudini orationes suas attemperaturus. Nam quum ex calore in nato perquam vivida orientis habitatoribus

G 3

ea

- a) Nemo igitur plenam rituum, ad preces Judæorum pertinentium, enarrationem hic a me expeditabit. A qua vel ideo abstinendum mihi putavi, quia pridem illam suscepere doctissimi viri Jo. SAVBERTVS, in *Palæstra Theologo-Philolog.* p. 89. sqq. ed. 1678. Jo. BVXTORFIVS in *Synagoga Judaica* C. IV. sqq. ed. 1641. Jo. JOA. SCHRÖDERVS diss. prælimin. *de precibus Hebr.* Marp. Catt. 1717. aliisque. Erit tamen fortassis aliquando tempus, quo his etiam dare liceat perfectiora.

ea animæ vis esset, quam imaginandi appellare solemus facultatem: imaginibus illi delectabantur plurimum, hisque sæpen numero multo movebantur fortius, quam rationibus gravissimis. Ex quo factum, ut doctores Hebræorum sermonibus suis crebras admiscere imagines (משליּת illi vocabant, quæ vox Græco παραβολὴ significandi potestate respondet) consultum duxerint. Plenæ sunt Talmudis tabulæ exemplis, ex quibus unicum tantum indicabo, ac tale quidem, ex quo simul appareat, quo illi apparatu parabolæ proponere consueverint. Habetur illud in *Gemara Babylonica b*), estque hujusmodi: אמר לך אمثال לכם משל למו: אורה ור' אבהו ואחר שונאו וננו *Dixit illis R. Aphi: dabo vobis parabolam. Cuiam res hæc similiis est? Homini scilicet, qui mutuo dat duabus viris, quorum alterum amat, alterum odio habet, cet.* Etsi vero illam Christi narrationem παραβολὴν vocat evangelista: nihil tamen obstat, quo minus res vere gesta esse potuerit, & ab ipso Christo, dum in templo ageret, observata. Desumebantur enim sæpius parabolæ ex medio vitæ usū, ita, ut historiæ etiam vocari potuissent: afferebanturque non raro propter factorum, quæ vere

b) Codicis *Avoda Zara* f. 4. col. I.

re accidissent, aut acciderent, similitudinem. Esto vero, parabolam præsentem non tam id exponere, quod revera contigerit, quam quod contingere facile possit: certum tamen est, neque Phariseo, neque publicano actiones aut formulas a Christo tribui ulla, quæ Judæorum non convenienter moribus. Eas igitur accuratius considerare dum instituo, tale quid expendendum sumo, quod usū apud Judæos tritum fuit.

§. II.

Vnum est, quod præmonendum insuper judico. Videri scilicet publicanum precantem non tanquam gentilem, sive simulacrum cultorem, sed tanquam Judæum a Christo introduci. Publicani homines erant, quos vectigalibus exigendis Romani præficerant. Eos vero non e gentilibus tantum, sed & ex ipsa Judæorum gente deligi & constitui consueuisse, ex eo liquet, quod Talmudici c) **מוכס נכרי** publicanum alienigenam distinguunt ab alio, hoc est, Judæo. Porro colligi idem potest, ex hoc sapientum scito d): **אִבְרָהָם דַּיְלָא הָוֹה חָז בְּשׁוֹקָא** ק. *Si filius sororis tuæ publicanus (τελώνης) fuerit, cave ne in platea eorum ipso transeas.* Nam filius sororis

G 4

ho-

c) In *Bava Kama* f. 113. c. l.

d) In *Joma* f. 18. c. i.

hominis Judæi, sive, quod idem est, feminæ Judaicæ, vix potest esse aliis, nisi ipse etiam Judæus, cum mulieres Judaicæ non nisi rarissime alienigenis nuberent. Intelligitur eodem ex decreto hoc simul, immensum plane Judæorum adversus publicanos fuisse odium: cuius duplarem arbitror fuisse caussam. Vnam, quod illud hominum genus libertatis opprimendæ instrumenta reputarent: alteram, quod iniquiores se præstare solerent in exactioribus: & vectigalia, ultra, quam æquum erat, augere. Addo his indiciis, quod ipse Christus e) publicanum ab homine distinguit ethnico. Nostrum vero publicanum ut Judæum repræsentari, tum ritus, tum formula arguunt precum, ab eodem usurpata: sicuti ex infra dicendis pluribus patebit. Præterea parabola hac nimiam Pharisaorum arrogantiæ castigare, eosdemque ad frugem meliorem revocare, Christus quum statuisset, scopo eius multo erat convenientius, si hominem, Judæorum e gente prognatum, ut animi demissi, veniamque peccatorum a Deo impetrantis, exemplum proponeret, quam si gentilem, quem Pharisaos, superbissimum genus, imitatueros esse vix poterat sperari.

§. III.

e) Matth. XVIII, 17.

§. III.

Jam prima mihi quæstio de *tempore* erit, quo templum, precum caussa, adiisse censeri possint duumuiri. Illud vero ad horam suffitui faciendo destinatam referri debere existimo. Cum hac enim potissimum cærimonia preces suas coniungendas statuebant Judæi, illi præsertim inferioris ætatis, sicuti ex luculento f) evangelistæ testimonio apertum est. Scilicet dum in eo essent, ut plena quasi manu munera, ut putabant, grata Deo offerent; longe hinc faciliorem ad preces audiendas eum tunc fore sperabant, quam alias. Nam suffiendi actus in sacrificio præsertim iugi medius erat inter sparsionem sanguinis & combustionem carnis, cum fertorum oblatione vinique libamento conjunctam. His autem singulis placari Deum propitiumque sibi reddi arbitrabantur. Neque tamen hac solum ratione ductos illos credo; verum etiam, ut mos illis erat, majorum suorum effatis aut exemplis. Davidis votum g): *תְּכַונֵּת כְּתָרָת לִפְנֵיךְ Disponatur precatio mea suffitus instar coram te,* facile eos movere potuit, ut, quemadmodum preces suffitui in eo comparantur consocianturque: ita actus quoque precandi suffiendique conjunctos esse oportere existimarent. Sed & exemplum simul, idque

G 5

au-

f) Luc. I, 10.

auctoritatis maximæ, idem psalmi locus subministrare illis poterat. Nam cum addit Davides : **מְשָׁאַת כֶּבֶשׂ מִנְחָת עֲרָבָה** *elevatio manum mearum*, tollo, precum caussa, manus meas, tempore sacrificii vespertini, quid innuit aliud, nisi quod interea, dum sacrificium fieret vespertinum, adeoque & suffitius, qui abesse ab eo non poterat, preces ad Deum fundat ? Nec aberrasse sane videri poterant a mente Davidis, si hanc verbis eius tribuerent sententiam : „Quemadmodum „nunc, dum precari instituo, suffimentum „super prunas in altari interiori disponitur, „ut in fumum resolutum cœlum versus ascendat : ita precatio etiam mea, apte disposita, sursum evolet ad Deum, eidemque „non minus accepta habeatur, quam suffitius.. „ Respexisse ad illum quem dixi', Iudaorum morem Apocalypseos scriptorem h), quando preces sanctorum suffimenta vocavit, vix erit quisquam, cui non pateat. Allusisse vero apparet angelum quoque, Cornelio centurioni in visione sic locutum i) : **Αἱ προσευχαὶ σου ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.** Preces tuæ adscenderunt in memoriam coram Deo. Suffimentum enim interpretes Alexandrini **ἀνάμνησιν** & **μνημόσυνον** appellare solent, ut Hebraei **אִזְכָּרָה** k). Quæcum

h) Cap. V, 8. VIII, 4.

i) Act. X, 4.

k) Vid. Levit. XXIV, 7. Num. V, 26.

cum ita sint, ad verba ἀνέβησαν εἰς τὸ ιερὸν προσένεγκασθαι, ascenderunt in templum precandi causa, recte cogitabit lector de illo tempore, quo odores in sanctuario accendebantur. Rectius tamen, ut opinor, de vespertino, quam de matutino 1). Spectari enim summopere cupiebant Pharisei, dum preces recitarent, Christo etiam propterea reprehensi m). Frequentiam igitur requirebant hominum. Hæc autem in templo vesperi, quam mane, longe aderat major. Nam mane quidem Hierosolymitanorum multis neque vacabat, propter vitæ negotia, neque commodum videbatur (quod prima luce adoleretur suffitus) ad templum se conferre. Hinc Petrum etiam & Joannem, templum ingressuros, horam potius nonam ; h. e. tertiam pomeridianam, quæ ὥρα τῆς προσευχῆς, precationis hora, κατ' ἐξοχὴν vocabatur, delegisse legimus n), quam aliam ; non quidem ostentationis gratia, Phariseorum ad morem, sed ut maior ipsis esset opportunitas, in confluxu populi ingenti veritatem cœlestem late disseminandi.

§. IV.

A tempore ad ritus formulasque precum pro-

I) Suffitum enim bis quotidie factum esse, semel mane, iterum circa vesperam, vix opus esse puto, ut inoneam, quum sit pervulgatum.

m) Matth. VI, 5. XXIII, 5.

n) Act. III, 1.

progredior, & primum quidem ad eos, qui communes fuere utriusque, Pharisæo & publicano. Numerari autem tres possunt, partim ritus, partim formulæ. Nam 1) ad *tempulum* properavit uterque, precaturus & supplicaturus: (2) *stans* oravit uterque: (3) a *Dei* nomine preces exorsus est uterque. Ad primum quod attinet, ratio eius in eo quaerenda est, quod in templo, illa Numinis sede, preces certius, quam alibi exaudiri, persuasum Judæis esset. Quod ipsum postea, templo destructo, de synagogis quoque, quod templi usum ex parte præstarent, fuit creditum. Qua de re testimoniorum satis concessit SAVBERTVS o). Huic Judæorum opinioni hoc Apostolus opposuisse videtur mandatum p): *βούλομαι προσεύχεσθαι ἀνδρεας εν παντὶ τόπῳ.* Orare viros volo quounque in loco, q. d. Ne sit adstricta precatio templo aut synagogis, sed in locis suscipiatur quibusvis. Communis autem illa Judæis persuasio cum gentilibus fuit. Etenim hi quoque templorum, quibus Dii veluti conclusi essent, calcanda sibi putabant limina, si quid a Diis impetrare cuperent. Indicia extant cum alibi, tum apud ARNOBIVM q), qui ethnicum hominem sic loquenter introducit: *Non idcirco attribuimus Diis*

o) Libr. cit. p. 112. 113.

p) 1. Tim. II, 8.

q) *Adv. Gentes* I. VI. p. 192. edit. Lugd. 1651.

Diis templis, tanquam humidos ab his imbræ, ventos, pluvias arceamus, aut soles : sed ut eos possimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo, & sub ætherio tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt, & nisi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt. Nec minus apud LVCIANVM, hæc de Demonacte philosopho narrante r): Εἰπόντος τινὸς τῶν ἑταίρων ἀπίστωμεν Δημόναξ ἐις τὸ Ασκληπιεῖον, καὶ προσευχώμεθα ὑπὲρ τοῦ νιοῦ. Πάντα οὐ φέρουσιν τὴν Ασκληπιόν, εἰ μὴ δύναται καντεῦθεν ἡμῶν ἐυχομένων ἀκούειν. Dicente quopiam ex amicis, abeamus, Demonax, in sanum Aesculapii, pro filii salute oraturi : Vebementer, inquit, surdum existimas Aesculapium, ac si non possit isthic nos precantes audire. Quod Demonactis responsum, minime inscitum, in memoriam mihi revocat similem fere SENECÆ sententiam s) : Non sunt ad cælum elevandæ manus, non exorandus ædituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Porro stantium gestu precati sunt ambo, quod Judæorum sic exigeret

r) In vita Demonactis T. Opp. I. p. 865. edit. Græv.
s) Epist. XLI.

geret consuetudo. Nonnullis quidem in precibus perinde habebatur, sive staret quis, sive sedederet. **MAIMONIDES** t) בכניותתו: מה הוא אומר ר' ל' כשיכנס לכית ומודרש מה דיבר לומר יש לו להתפלל אלה שתר התפלל יושב או עומד או כמו שירוזמן לו. Dixere ibidem in Bareitha: Quid suo dicit in ingressu? Id est, quando ingreditur in scholam, quid tenetur dicere? precari debet precatio-nes illas duas, vel stans, vel sedens, vel ut com-modum fuerit ipsi. Veruntamen ad plerasque standum erat, imo tunc etiam, cum loci conditio agre permetteret. Idem Doctor: אין מתפלל אלא מעומד היה יושב (u) בספינה או בעגלה אם יכול לעמוד עמו. *Nemo oret nisi stans. In navi si quis verse-tur, vel in curru, stet is quoque, si fieri ulla ratione possit.* Hinc est, quod Talmudici verbum עמדו, stetit, in Abrahami historia de precatione interpretati sunt x). Eum scilicet gestum requirere putabant majestatem Numinis supremi, haudquam minori reverentia colendi, quam regem coli moris es-set ex mortalium genere, quippe cui non nisi stantes solerent supplicare. Quod si in atrio

t) In Comment. ad Berachot. c. IV. §. 2.

u) In Hilchot Tephilla c. V. §. 2. Mischn. in Taanith. c. II. §. 2.

x) Observante SAVBERTO I. c. p. 106.

atrio magno precatos statuas duumviros nostros, loci etiam religio sedere eos vetuit. Nemini enim, nisi regi, ex Davidis stirpe prognato, sedere ibi fas erat, cum spatum esset, adyto, ipsius Dei habitaculo, admodum propinquum. Stare autem divaricatis crucibus indecorum in oriente cum reputaretur, sancitum quoque fuit, ut pedes, majoris modestiae caussa, arcte conjunctos haberent precantes. R. MOSE M I K K O T Z I y) : **זעומד בתפלה צריך שכון רגליו זו אצל זו**
 בעין מלאכים שנ' ורגלייהם רגל ישרה ממשע **Qui stat in precatione,**
ille conjungere debet pedes suos, unum juxta alterum, Angelorum ad exemplum, de quibus dicitur (Ezech. I, 7.) : Et pedes eorum pes rectus. Sensus hic est planus : pedes duo (presso conjuncti) constituunt pedem unum. A Judæis ritum standi inter preces ad primos venisse Christianos, instituta Judæorum plurima imitatos z), eundemque hodienum a Christianis orientalibus constanter observari, non videtur prætereundum. Quemadmodum & id memorabile est, quod Jovem quo-

y) Citante SAVBERTO l.c. p. 109.

z) V. Jo. SPENCERVM de legibus Hebr. ritualibus p. 792. Conf. TERTULLIANVS de Corona c.XI.

112 Obs. I. De ritibus formulisque precum

quoque suum gentiles non sedentes, sed stantes, invocare fuerint. HOMERVS a) :

Εὔχετ' ἔπειτα σὰς μέσω ἔρηται, λεῖθε δὲ ὅνον
Οὐρανὸν εἰσανιδῶν, καὶ Φωνήσας ἔπος ἡύδα.
Ζεῦ πάτερ.

Precatus est postea (Priamus) stans in medio atrio, libavit autem vinum, Cœlumque inspiciens, & clamore preces protrulit :

Jupiter, pater.

Notum & illud MARTIALIS est b) :

Multis dum precibus Jovem salutat
Stans

Denique Deum in precum statim exordio compellans uterque, id egit, quod consuetudo flagitabat, eaque a ratione minime abhorrens. Nam ita mos erat Judæis, ut Dei nomen in precationis exprimerent ingressu, significaturi scilicet, illud se Numen invocare, quod solum Deus appellari mereatur, adeoque non nisi unicum sit. Exemplorum satis in libellis reperire est precum, in quibus formulæ non paucæ antiquæ sunt. Specatabat vero mos ille simul ad benevolentiaæ captationem. Quemadmodum enim Principis gratiam sibi conciliaturus curare enixe solet, ut a sermonis ad illum sui initio debita

ta

a) *Iliad.* XXIV. v. 306. sqq.

b) L. XII. *Epigramm.* 78. v. 1. sqq.

ta ne absit honoris præfatio, qua testatum faciat, se Principem istum pro tali habere, qualis & sit, & haberi cupiat: ita Judæi quoque ad favorem Numinis comparandum non parum conferre existimabant, si preces suas ab ipso Dei nomine ordirentur, imo crebrius etiam hoc repeterent. Hinc & epitheta Dei, eandem ob caussam, mirifice solebant cumulare. Testis esse potest precatio, quæ huius est initii c): אֱלֹהָי נְשָׁמָה שְׁנַתָּה בְּ Mi Deus, anima, quam largitus mibi es: Nec non ea, quæ incipit a vocibus: אַמְתָּה וַיְצִיב verum certumque cet. ac recitationi Audi (קָרֵית שָׁמַע) subjungi statim solet. Quo tamen ipso commiserunt, ut in damnatum a Christo d) βαττολογίας ἐθνῶν incurserent crimen, cuius exemplum memorabile in Timone LVCIANI extat, statim in principio, ubi hunc in modum Timon alloquitur Jovem: οὐ τεῦ φίλιε, καὶ ξένιε, καὶ ἔταιρεῖς, καὶ ἐφέρεις, καὶ αἰσχροπητα, καὶ νεφεληγεότα, καὶ ἀρίγδουπτε, καὶ εἴ τι σε ἄλλο οἱ ἐμβρέοντοι ποιηταὶ παλοῦσι. O Jupiter amabilis, hospitalis, sodalitie, domestice, fulgorator, juramenti præses, nubicoge, grandiflere, & si quod aliud tibi cognomen attoniti poetæ tribuunt.

Pars VIII.

H

§. V.

c) In Seder Tephilla f. 4.

d) Matth. VI, 7.

114 Obs. I. De ritibus formulisque precum

§. V.

Sed consideranda nunc erunt preces utriusque sigillatim, ac primum quidem illæ Pharisæi. De hoc Christus verbum adhibet προστύχετο, cui quidem non dubito significacionem hic subesse strictiorem. Suadet enim argumentum precum, ut illas ad eam referamus speciem, quam ברכה qs. benedictionem dicas, nuncupare solent Judæi; uti contra publicani formula ad Deum omnem in ברכה & הפללה tribuebant Judæi; quarum altera laudes & beneficia Dei prædicarentur, altera expeterentur ea, quæ necessaria & conducibilia essent homini. Priorem rursum in שבת dividebant, scilicet δοξασμὸν, & הווריה, scilicet ἐξουσιόγησιν; posteriorem in התנה supplicationem & בקשה (quæ & שאלה dicebatur) petitionem e) Jam quia Phariseus sola Dei in se commemorat beneficia, quibus effectum sit, ut rationem vivendi sanctiorem sectari ipsi contigerit; publicanus vero solam Dei gratiam, delictorumque efflagitat veniam: apparet sane, hujus preces ad posterius, illius vero ad prius genus spectare. Quocirca illud προστύχετο recte expresseris formula hac Hebraica, Judæis usita: אמר אתה הברכה הזאת. Porro voces πρὸς τὸν

e) Vid. MAIMONIDES in *Hilchot Tephilla* passim, præsertim cap. I, VI, VII, X.

ειστον recte illi mihi videntur exponere, qui easdem ad πρεκατησυχησ referentes vertunt, *ad se, secum*, sc. precatus est. Ut ita indicetur, Pharisaum preces suas murmurasse, ita, ut a nemine, nisi ab ipso, distincte saltem, perciperentur. Probe igitur memorem se ostendit Phariseus sententiae, a Doctoribus gentis suæ proponi solita f): **המשמע קלו בתפלתו** חרי זה מקטנו אמונה המנוביה קלו בתפלתו Qui precatur ita, ut audiatur ab aliis, ille est ex ὀλιγοπίσιος : qui extollit vocem suam in precatione sua, ille est ex prophetis falsis. Luculentius vero hac de re, ex mente veterum, sic præcipit M A I MONIDES g): **תשווית הקול** כיצד לא יגבהו קלו בתפלתו ולא יהפלל לבבו אליהם מחתה הרובים בשפטיו ומשמע לאזנו בלחש ולא רשמע קלו ונר. Quomodo comparata esse debet vox (precantis?) Ita scilicet, ut neque attollat vocem suam, neque oret in animo suo, sed labiis suis verba veluti præscindat, atque sic loquatur, ut ipsius quidem aures verbapercipiant, müssitatione prolata, minime vero alii cet. In quibus phrasis **המשמע תפילה**, recitare preces mussitando, ut solis precantis auribus vox, ut ita loquar, sic perce-

H 2

f) In Berachot fol. 24. c. 2. init.

g) In Hilchot Tephilla c. V, §. 9.

perceptibilis, plane respondet formulae Græcae προσεύχεσθαι πρὸς ἑαυτόν. Intelligitur itaque ex decretis Doctorum Judaicorum allatis, duo illos vitari a precante jussisse extrema, precationem tacitam, quæ sola concipitur mente, & eam, quæ aures feriret adstantium. Practionem pectore conclusam, & quæ ore non effunderetur, ideo procul dubio improbarunt, quod facile illam cogitationibus intercedentibus disturbari posse inteligerent. Rari enim sunt, qui ad ea, quæ tacite secum in animo versant, ita mentem intendere valeant, ut aliena cogitatione nulla, quam a precibus abesse omnino decet, interrumpi meditationem patientur. Illam vero, quæ ad aures aliorum accideret, precationem eo rejecerunt merito, quia illa non posset non, ubi plures essent, ut in templo & in synagogis, strepitum parere inconditum, miramque vocum confusionem; ac præterea vere rentur homines necessitates suas, quæ animum ipsorum angerent, aliis audientibus proferre. Magis igitur lene murmur placuit, præsertim, quia Hanna illud h) suo feliciter präiverat exemplo. De ea enim historicus facer: זוננה היה מורה על לבה Rak shفتיה נועת וקולו אל ישמע apud animum suum loquebatur ita, ut move ren-

h) I. Sam. I, 13.

rentur tantum ejus labia, sed vox ejus non audiretur, Quod exemplum vix dubitandum est, quin occasionem & originem derit illi, quod commemoravi, instituto. Karæos certe usos illo esse ad probandum, oportere preces voce recitari submissa, JACOBVS docuit TRIGLANDVS i).

§. VI.

Jam ad formulas Pharisæi quod attinet, illa primum ὁ θεὸς ἐυχαριστῶ σοι plane conformis huic est, quam precibus vulgo suis, cumprimis *תָּאֵס*, præmittebant verpi: בָּרוּךְ אַתָּה יְהוָה Benedictus es tu, o Domine Deus noster. Post hæc quæ addit homo, arrogantiam eius insignem abunde produnt. Nam suas tantum virtutes prædicat spernitque juxta fē, & pro nihilo putat alios, tanquam homines sceleribus flagitiisque contaminatos, omniumque religionis officiorum, quorum ipse observantissimus fit, negligentes. Ita scilicet mos ferebat Pharisæorum, ut sua in precibus enumerarent merita, eademque malefactis aliorum opponerent. Mischnici k) hoc חֲלִקָּה, gratiarum actionem de forte sua vocant, quam in egressu potissimum e Schola usitatam fu-

H 3

esse

i) In diatribe de sc̄cta Karæorum p. 300. edit. Cel. WOLFIL.

k) In Berachot cap. IV. §. 2.

118 Obs. I. De ritibus formulisque precum

isse perhibent. Erat vero illa, ut
M A I M O N I D E S auctor est 1), hujus ar-
gumenti : וּבְצִיאתוֹ מִזְרָחָו אָמַר מִזְרָחָו אָנָּי : לְפָנֶיךָ יְהוָה שְׁשָׁתָּה חֲלֵקִי מִיּוֹשְׁבֵי בֵּית
הַמְּדֻרְשׁ וְלֹא שְׁמַת חֲלֵקִי עִם יוֹשְׁבֵי קָרְנוֹת
שָׁאַנִי מִשְׁכִּים וְהָם מִשְׁכִּlim אָנִי מִשְׁכִּים
לְדִבְרֵי תּוֹהָה וְהָן מִשְׁכִּים לְדִבְרֵים בְּטַלְיוֹת
אָנִי עִמְּלָה וְהָם עִמְּלָה אָנִי עִמְּלָה וְמִקְּבָּל שְׁכָר
וְהָם עִמְּלָה וְאַיִן מִקְּבָּל שְׁכָר אָנִי רַץ וְהָן
רַצְיָן אָנִי רַץ לְחַיִּים עַלְמָם וְהָם רַצְיָן לְכָאָר
שָׁחַת. Cum egreditur e schola , quid dicit ?
ago gratias tibi, Domine Deus mi , quod pos-
suisti sortem meam inter sedentes in schola,
non autem inter sedentes in compitis viarum.
Nam ego mane surgō, surgunt quidem & illi.
Ego vero, ut studeam legi ; ast illi ut negotia
tractent futilia : ego operor, & illi operan-
tur, ego operor, & mercedem accipio, illi ve-
ro operantes mercedem capiunt nullam : ego
curro ad vitam eternam , illi autem currunt
ad puteum perditionis. Non dissimile his
precationis satis famosa initium
עלינו לשבח לארון הכל לתת גוילן :
עלינו לשבח לארון הכל לתת גוילן :
ליוצר בראשות שלא עשנו כנוי וארצوت ולא
שמנם כמשפחות וארמה ולנה שם חלקנו
בחלקים ונורלוינו בגורלם
Nostrum est lauda-
re

1) In Commentario ad illum Mischnæ locum.

re omnium dominum, & extollere eum, qui univerſi bujus est conditor, quod non fecit nos, ut gentes mundi, neque similes nos fecit nationibus terræ, neque portionem nostram, ut portionem illarum, aut sortem nostram, ut sortem illarum posuit. Peccatorum vero suorum mentionem plane nullam quod injiciat Pharisæus, non est magnopere mirandum, quia vel plane immunem se ab illis credidit, vel ex eorum saltē esse numero, de quibus MAIMONIDES m):

כָל אָחָר וְאָחָר
מַבְנֵי הָאָדָם יְשִׁירּוֹת וַעֲנוֹת מִשְׁצִכּוֹתָיו

וַיְהִירּוֹת עַל עֲנוֹתוֹ צְرִיךְ

Vnicuique homini sua sunt merita, sunt vero etiam peccata. Is igitur, cuius merita ampliora sunt peccatis, justus est. Pharisæis autem proprium erat, ut justi videri cuperent, πεποιθότες ἐφ' ἑαυτοῖς, ὅτι ἐστὶ ΔΙΚΑΙΟΙ, ut Lucas ait : adeoque a peccatis confitendis dedita opera abstinebant.

§. VII.

Pharisæo dimisso, ad publicanum me conseruo. Hunc Christus eminus stetisse ait, respectu habito ad Pharisæum, qui ad Aedem sacram proprius acceſſerat. Nempe quo sanctiorem se judicabat homo, eo majus sibi jus esse arbitrabatur cominus quasi salutandi Deum, qui Aedem illam inhabitare censebat.

H 4

tur.

m) In *Hilchot Teshuba* c. III. §. 1.

tur. Stetisse igitur credi potest in atrio magno, prope gradus illos, qui Israelitarum atrium ab illo sacerdotum separabant, vel, si sacerdotem illum fingas, ultra gradus etiam illos, haud procul ab altari holocaustorum, ac vultu quidem ad sanctuarium, pro more, converso. Publicanus vero remotior hinc stetit, filii aut servi instar se se gerens, qui conscientis sibi, ab officio secessisse, ad parentem herumve appropinquare non audet. Substituit igitur juxta murum illum, qui atrium magnum ab illo, cui ex feminis datum fuerat nomen, distinguebat, ac fortasse juxta portam Nicanoris, per quam ad atrium Israelitarum intrabatur. Forsan autem nec eo usque progredi sustinuit homo verecundans, sed in atrio restitit feminarum, ab Aede sacra remotiori. Humilius id erat octo fere cubitis Israelitarum atrio, adeoque precanti modesto convenientius. Nam sic præcipere solebant ipsi Judæorum Magistri, precibus fundendis locum potius deligi oportere humilem, quam editum. MAIMONIDES n):

תיקון המקומות כיוצר יעמדו במקומות נמוך -
 לא יעמדו במקומות גבוה שלשה טפחים או
 יותר ויתפלל לא על גביו מטה ולא על גביו
 ספסל ולא על גביו כסא. *De loco (precum)*
quomodo statuerunt? stent (precantes) in lo-
co

n) In *Hilchot Tephilla* c. V. §. 6. 7.

co depresso. Et paulo post : Ne stent in loco, qui tres eminet palmos, vel altius, et neque in lecto, neque in sella, neque in solio precentur. Rationem ex loco quodam Psalmi petunt Talmudici o) :**

וְאָמַר ר' יוֹסֵי בֶּן חנינה משווֹת רָא"בָּר אֶל יַעֲמֹד אֶרְם בָּמְקוֹם גָּבוֹהַ וַיַּתְפֵּל אֶלְيָזָר בָּמְקוֹם נִמְוֹךְ וַיַּתְפֵּל שָׁנָה מַעֲמִיקִים קָרָאתֵיךְ הָ תְּנַחַת לֹא יַעֲמֹד אֶרְם לֹא עַל גְּבֻרִי כָּסָא וְלֹא עַל גְּבֻרִי שְׁרָפָרְפָּה וְלֹא בָּמְקוֹם גָּבוֹהַ וַיַּתְפֵּל אֶלְאָ בָּמְקוֹם נִמְוֹךְ וַיַּתְפֵּל רְפִי שָׁאַן גְּבוֹהַת לִפְנֵי הַמְּקוֹם שָׁנָה מַעֲמִיקִים

קָרָאתֵיךְ. *Dixit R. Jose bar Chanina, auctoritate R. Eliezeris ben Jose : Ne stet homo in loco sublimi, dum orat, sed in humili, quia dicit Psalmes (Ps. CXXX, i.) : Ex profundis invoco te. Traditio etiam haec extat : Ne stet homo, neque in solio, neque in scabelllo pedum, neque in loco alto, dum orat, sed in loco depresso : siquidem non admittit Deus id, quod altum est. Dicitur enim (ibid.) Ex profundis invoco te. Duas præterea rationes alias subministrat R. MORDECHAI JAPHE p) :*

וַיַּרְא שְׁמָא יְפֹל וְלֹא יוּכָל לְכוֹן, בַּתְּפִלָּתוֹ, ut timendum ne sit homini, ne forte cadat, adeoque orationi nequeat attendere.

H 5

Alte-

o) In Berachot f. 10. col. 2.

p) In **לבוש התכלת** sect. 90. num. 1. fol. 31. col. 2. 3. citante SAVBERTO l.c. p. II4.

שנרא' בנות אם הוא עומר במקומות
גבורה יותר מאשר הרעם ואם הוא עומר
במקום עמוק הרי והוא משפיר עצמו ומכווץ
ותפלהו מקובלת יותר. *Quoniam superbiam
redolet, si in loco stet altiori, unde supra ce-
teros emineat; cum e contrario qui in de-
pressiori loco existit, deprimat & humiliet se
ipsum, precesque ejus oppido sint acceptae.*
Vtro vero in atrio stantem tibi repræsen-
tes publicanum, sane repræsentes oportet
bit pone Pharisæum. Censeri igitur hic de-
bet conspexisse illum, vel dum præter eum
transiret, vel dum oculos ante preces huc
illuc circumferret.

§. VIII.

Porro publicanus ὅντες ἔθελεν ὄυδὲ τοὺς ὁφ-
θαλμοὺς εἰς ὄντας επάρειν, nec oculos volebat
ad cœlum attollere. Vultu igitur oravit de-
misso : quem gestum ipsi etiam sapientes
Judæorum antiqui orantibus commenda-
runt. R. JOSE KARO q) : אמר ר' ישמעאל
בר יוסף בשם אביו מהתפלל ציריך שיתן עיניך
לכמתה *Dixit R. Ismaël bar Jose auctoritate
patris sui : Oportet precantem oculos deor-
sum*

q) In *בسف משנה* ad Maimonidis *Hilchot Tephilla*
c. V. §. 2,

תקון הנוף : sum flectere. Ipse Maimonides r) תקון הנוף : מישר כשלוחא עומר בתפלה צריך לכוון את רגליו זו בצד זו ונוטן עיניו למטה כלו והוא מביט לארץ ויהויה לבו פניו למעלה כלו הוא עומר בשמי ומניה וירו על לבו כפותין חימניאת על השמאלית ועמר כעבר לפניו רבו באהמה ביראה ופחד. *Corpus componi quomodo debet? Pedes suos jungat necesse est precans unum alteri; oculos vero deorsum dirigat, ac si terram adspiceret. Interim mentem sursum elevet, ac si in cœlo esset constitutus. Manus autem suas ad cor admoveat veluti constrictas, dextram supra sinistram. Stet igitur ut servus coram hero suo, cum timore, reverentia & metu.* Idem s) ורא יכפוף קומתו כבורי חטורתה אלא מסתכל למטה כמו שהוא עומר בתפילה. *Staturam gibbosorum instar ne geminet sapiens, sed deorsum spelet, ut dum precibus vacat. Gestum hunc veteres, gravitatem capitum, appellabant, quia illo utens caput quasi grave, adeoque deorsum tendens, habere videbatur. Vsurpata tamen etiam fuit formula de mente composta, & de animo modesto, quippe cuius signum denissio erat capitum, sicuti postea monebiimus. Mischnicit:*

אין

-
- r) *Hilchot Tephilla* c. V. §. 4.
 s) In *Hilchot Deoth.* c. V. §. 8.
 t) In *Berachot* c. V. §. 1.

אין שומרין להתפלל אריך מותך כובד ראש.
Non assurgunt ad precandum, nisi mente composta, proprie, capite gravi, seu submissio. R. OBADIAS de BARTENORA u) : כובד בראש הכנען ומורה וכחיתיב עבדו את ה בראה ועכורה זו תפלה היא. *Gravitas capitatis submissio & timor est, juxta id, quod (Ps. II, ii.) dicitur : Servite Deo cum timore. servire autem hoc loco est precari.* Quibus plane consentanea Maimonidis est commen-tatio. Opponebatur תַּחַת רָאשׁ *levitas capitatis*, קלות ראש, tribuebaturque hæc ei proprie, qui in altum jactaret caput, tan-quam rem levem, omnique destitutam pondere ; tropice vero illi, qui levius sese gereret & immodestius. A quo vitio cavere sibi jubent doctores Misnici x) omnes, qui, templum ingressi, Aedem versus sacram pro-spiciant : לא יקל אדם את ראשו כנגד שער המזרח שהוא מכון כנגד בית קרשי קורשים. *Ne attollat quis caput suum (leviter sese erat) ante portam orientalem (Nicanoris,) que adytum ex adverso respicit.* Ad quae R. OBADIAS de BARTENORA : כי לא ינתן קלות ראש. *Nam caput gerere sublatum, indecorum est.* MAIMONIDES y) : אין

u) Ad illum Mischnæ locum.

x) Ib. c. IX. §. 5.

y) In *Hilchot Tephilla* c. IV. §. 18.

אֵין עוֹמְרִין לְהַתְפִּלָּל מִתּוֹךְ קֶלֶת רָאשׁ
Non conferunt se ad preces in statu levitatis. Mo-
 hammedanos, quod obiter hic observamus,
 Turcas præsertim, eundem plane in preci-
 bus suis servare morem, ut capite stent de-
 misso, maxime cum caput Corani primum
 recitant, egregie docuit HADR. RELAN-
 DVS z), qui & figura eleganti gestum illum
 curavit exprimi. Quod si jam rationes re-
 quiras gestus adhuc explicati, duæ potissimum
 occurrunt. Primum enim attentio-
 nem, in precibus admodum necessariam a),
 juvare illo voluisse videntur, qui primi insti-
 tuerunt. Noverant scilicet, oculos terram
 versus dejicienti longe facilius esse mentem
 ad ea, quæ meditatur sècum, vel proloqui-
 tur, accurate intendere, quam ei, qui pro-
 spectum oculis liberum quaqua versum in-
 dulget. Huic enim non possunt non turbari
 cogitationes variarum rerum objectu. De-
 inde modestiæ quoque & reverentiæ, in preca-
 tione utique ostendendæ, significatio inesse
 credita fuit eidem gestui. Δυσωπίαν dixerunt
 Græci, teste PLUTARCHO b): τὴν αἰρεψ-
 τιαν

2) De Religione Mohamm. p. 86. sq. vid. ibi figura se-
 cunda tabulæ in æs incisæ.

a) Trita est Judæorum sententia **תפילה בלא כוונה** Precatio sine attentio-
 ne est ut corpus sine anima.

b) Περὶ δυσωπίας. Op. T. II. p. 528.

126 Obs. I. De ritibus formulisque precum

τίαν μέχει τοῦ μηδὲ ἀντιθέπτειν τοῖς δεομένοις ύπει-
νούσαν δυσωπίαν ἀνόματαν. Verecundiam,
præ qua intueri in alios non audemus, δυσω-
πίαν dixerunt. Quamobrem observari ge-
stum hunc oportuit ab omnibus, qui coram
Principe aut magistratu comparerent. Hinc
& Synedrium magnum a partibus eundem
postulavit litigantibus, præfertim a reis, nec
ferre potuit Paulum ἀτενίσαντα τῷ συνεδρίῳ c),
intentis oculis adspicientem senatores intuen-
temque, ac liberius loquentem, sed alapis
propterea dignum judicavit. Probe tamen
observandum simul est, Judæos, licet maxi-
mam precum partem vultu murmurarent
demisso, tamen ad Dei nomen, honoris
caussa, erigere vultum consuevisse. MARI-
MONIDES d): בְּשָׁקָר, attollit precans
caput, cum Dei effert nomen. Plane ut gen-
tiles, numina sua cōpellantes, ceu ex his
VIRGILII discere est e):

*At pater Anchises oculos ad sidera latus
Extrulit, & cælo palmas cum voce tetendit:
Juppiter omnipotens.*

Nec longe post f):

*Genitor se tollit in auras
Affaturque Deos, & sanctum fidus adorat.*

Nixi

c) Act. XXIII, l. 2.

d) In Hilchot Tephilla c. V. §. 10.

e) En. II. v. 687. sqq.

f) Ib. v. 699. sq. conf. HOMERVS §. IV. not. (a) cit.

Nixi autem hac in re videntur Iudei isto
 פסלאט& g) effato: **אָלֵיךְ נְשָׁאָתִי אַתْ עַנִּי הַיֹּשֶׁב בְּשָׁמָּה.** *Ad te oculos tollo meos, qui habitas in cælis,* quippe in quo oculi sublati cum Dei compellatione conjunguntur. Itaque eos Davidis, vel quisquis psalmi illius auctor est, ad exemplum, vultum sibi attollendum judicasse verisimile est, quotiescumque Dei in precibus nomen occurreret. Attollere vero solebant in atriis templi versantes vel ad cœlum ipsum, vel ad sanctuarium, quod cœli vicem gerere, & non minus, atque hoc, a Numine inhabitari existimabatur, ideoque cœli nomine interdum insigniebatur. Quæcausa est, quare orantes in & extra templum faciem habuerint ad penetrale conversam, ut scilicet coram Numine orarent præsente. **וְיַעֲזֹר וּמָר בְּמִקְרָשׁ מִכּוֹן פְּנֵי.** *In templo qui stet, orandi causa, faciem is obuertit penetrali.* Idem vero sibi quoque incumbere putarunt Iudei exules, templo tam destructo, quam superstite. Semper enim illum locum, in quo templum stebat, vel antea steterat, precantes ut respicerent, operam dabant sollicite. A quo studio nec hodie eos discedere, inter omnes constat. Ac habuerunt illi Mohammedanos, **ut in multiis aliis, ita hac etiam in consuetudine**

g) Pf. CXXIII, 1.

h) In *Hilchot Tephilla* c. V. §. 3. cf. Pf. V, 8.

dine simios suos. Nam illis quoque solenne est vultum, dum precantur, ad templum dirigere Meccanum, quod propterea, æque ac Hierosolymitanum, ﷺ، Kebla, ab illis appellatur, i. e. *locus oppositus*, locus, quo facies convertitur. Nempe jussit hoc eos ipse

حيث ما كنتم فولوا :

مَوْجُوهُكُمْ شَطَرُ الْمَسْجِدِ الْحَرَامِ. *Vbicunque fueritis, vultus vestros, quando precamini, ad oratorium conuertite sacrosanctum, Meccanum. Ceterum in eo aliorum Judæorum migravit publicanus noster consuetudinem, quod, ex modestia plane singulari, oculos five ad cœlum, five ad Aedem sacram, tollere non est ausus.*

§. IX.

Porro publicanus *pectus suum percussisse* dicitur, ἔτυπτεν εἰς τὸ σῆθος ἀντὸν, se ipsum accusaturus, doloremque proditurus enim. Secutus ille in hoc quoque gentis suæ morem est, qui hodienum perdurat. Observare enim licet Judæos, τὸ in Synagogis recitantes, ad verba סלח לנו, פשענו, *Condona nobis peccata nostra, pectus bis manu tundere ; expiationis vero die,* dum

i) *Sura II, v. 139. cf. RELANDVM lib. cit. p. 174.*

dum loris sese cædunt mutuo, ad voces confessionis, quæ interea editur, singulas: quod posterius B V X T O R F I V S k) etiam annotavit. Impetuofus semper oriens in affectibus fuit animi, ita ut modum vix teneret. Nec temperare sibi potuir, quin indiciis commotiones proderet externis, eas cumprimis, quæ animum afficerent paulo gravius. Vestes lacerare, induere vilissimas, pulverem inspergere capiti, pectusque pulsare, usitata doloris, tristitia & poenitentia signa. De Ægyptiis proditum ab HERODOTO l) memoria est, eos in luctu usos esse planctu. Ac eundem Hebræis fuisse morem, GEIERS RVS m), fuisse vero gentibus etiam aliis, KIRCHMANNVS n), & RAVANELLVS o) testimonii idoneis abunde demonstrarunt. Hebræi autem præterea planctum tunc quoque usurparunt, cum memoria eos angeret delictorum ante commissorum: male scilicet affecturi pectus, sive cor, illum cupidatum pravarum peccatorumque omnium fontem p). Quo fine & publicanus noster pectus pugno pulsans sistitur.

Pars VIII.

I

§.X.

k) *Synag. Jud. c. XXV. p. 522.*l) *Lib. II. c. 85.*m) *De luctu Hebr. I. XVI.*n) *De funeribus Rom. c. II. c. II.*o) *In Biblioth. sacra vocibus pectus & percutere.*p) *Vid. Matth. XV, 19.*

§. X.

Preces denique publicani ipsas, ὁ Θεὸς ἵλα-
θητί μοι τῷ ἀμαρτωλῷ, si spectemus, perbre-
ves illæ sunt, compararique possunt formu-
lae Hebræis, iratum Dei animum deprecantibus, solenni, & ḥ. præced. iam memoratae:
אלֹהִי סְלַח לְרִי פְשָׁעִי *condona mihi*, o Deus,
prævaricationes meas: præsertim, quia LXX.
qui vocantur, interpretes Hebr. **סְלַח** per **לְאָוֹתָן**
שְׁנָיו, **וְאָסְנָתָה**, solent reddere. *Peccatorem*
vero se dum fatetur publicanus, brevem
quidem, sed apertam tamen peccatorum edit
confessionem. Conducere hanc ad veniam
delictorum impetrandam, nec minus ad fel-
icitatem, quæ hinc nascitur, consequendam
longe plurimum, ex gentis suæ Magistris
procul dubio didicerat. Nam trita apud il-
los **כל המתודה יש**: **לו חלק לעילם הכא** *Quisquis confitetur*
peccata sua, *particeps fit* *seculi futuri*. Sci-
licet peccatorum confessionem signum in-
terpretabantur manifestum animi resipiscen-
tis, cuius vis esset insignis ad Numen propi-
tiandum. **בְּשָׂחוֹרָם י**: **מָאוּנִידֶס** *g*:
שׁוֹגֶג בְּעֵשֶׂה וְלֹא תַּעֲשֶׂה אוֹ מִזְרָךְ בְּעֵשֶׂה וְעֵשֶׂה
תשׁוֹבֶה מְכַפְּרִים לוֹ לְאֶלְתָּר וְהַתְשׁוֹבֶה חֶא
שִׁיחָרוֹה אֶרְם עַל עֲנוֹנוֹתָיו לִפְנֵי הַשֵּׁם וְוַרְנָהָם
על

q) Vid. *Sanhedrin* c. VI. §. 2.

¹²) In Comment. ad Ioma c. VIII. §. 2.

על מה שחתא ויקבל עליו שלא ישוב לאותו עון לעולם. *Si quis ex errore deliquerit contra aliquid præceptum, vel interdictum, aut ex proposito peccaverit contra præceptum, & resipuerit, statim illi condonat Deus. Resipientia vero hæc est, ut confiteatur homo peccata sua coram Deo, & ut ipsum peccati pænitentia, quod illud commiserit, ac ut in se recipiat, se eodem modo nunquam in posterum peccatum. Brevis vero dum est publicanus, defserit quidem eorum ex popularibus suis modis, qui peccata in confessione singula fuse solebant enarrare. De quo more idem MAI-MONIDES s):* ביצר מתרין אומר אנטז' השם חטאתי עוירתי פשעתי לפניך ועשיתך וכך והרי, נחמתי ובושתי ולעולם איןנו הווים לדבר זה חחו עיקרו של וידורו וכל המרבב להרתוות ומאריך בעניין זה והרי זה משוכחה *Quomodo confitentur? Ait confitens: Peccavi, o Deus, deliqui, & prævaricatus sum, & commisi hæc & ista. (Enumeranda hic erant peccata singula.) Pœnitent vero & pudet me operum meorum, nec relapsurus ad ea sum tempore ullo. Quod argumentum præcipue est confessionis. Qui vero dilatat confessionem suam, & verbosus in ea est, is laudem meretur. Patrocinatur tamen brevitat publicani pri-*

132 Obs. II. De cœlest. terrest. & inferis,

privilegium illud, quod homini inexercitato
& minus diserto indulserant Magistri. Ex-
plicet hoc quoque toties jam laudatus MAI-
MONIDES t): אָמַת הִיא רְגֵל מְרֻבָּה בְּתָחִינה
וְאָמַת הִיא עֲרֵל שְׁפָתִים מְרוּבָּר כְּפִי יְכָלָתוֹ
*Si quis fuerit exercitatus in dicendo, is lon-
gus sit in supplicatione ; si minus facundus,
eloquatur pro eo, ac potest.* Voluit autem
Christus, quando formulam adeo brevem, at
eam tamen efficacissimam, publicano tribuit,
ingentem Phariseorum in precibus loquaci-
tatem haud obscure reprehendere, ac simul
docere, magis gratas Deo preces esse breves,
si ex animo proficiuntur rite comparato,
quam verbosissimas. Fere ut Ammonis ora-
culo responsum est Atheniensibus u): ma-
gis Deo Lacedæmoniorum placere ἐνΦημίᾳ,
acclamationem , sive precationem brevem,
quam omnia Græcorum reliquorum sacrificia.

OBSERVATIO II.

DE COELESTIBVS, TERRE-
STRIBVS ET INFERIS, GENVA
IN NOMINE JESV CHRISTI
FLECTENTIBVS.

Ad Phil. II, 9. 10.

Διο

t) Ibid. §. 3.

u) Vid. PLATONEM in *Alcibiade secundo* p. 231.
ed. Gr. Basil. 1556.

Διὸ καὶ Θεὸς ἀυτὸν ὑπερέψωσε, καὶ ἔχαρισατο
ἀυτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· ἵνα ἐν τῷ ὄνόματι
Ιησὸς πᾶν γόνῳ κάμψῃ ἐπεργανίων, καὶ ἐπιγέιων
καὶ καταχθονίων.

Quapropter & ad supremam illum dignitatem egressus Deus, largitusque ei nomen est, supra omne aliud eminens: Ut in nomine Iesu omne se flectat genu cœlestium, & terrestrium, & inferorum.

CONSPECTVS.

Καταχθόνιοι Græcis non mortui sunt, terra conditi, sed vel animæ defunctorum, in locis infernis oberrantes, vel, præsertim si cum ἐπεργανίοις & ἐπιγέιοις conjungantur, Dii inferorum præfides. Hoc sensu capienda vox & in Pauli verbis; quibus Iesu Christi potentia, dignitas & majestas illi idolorum opponitur, atque huic longe antefertur §. I. Deos Græci omnes in Cœlestes dividere suerunt, Terrestres, ad quos Marini etiam referri possunt, atque Inferos. §. II. Cœlestium nomina varia. Numero erant duodecim, unde οἱ δώδεκα vulgo appellati, alias Θεοὶ μεγάλοι. Ophione & Eurynome regnantibus, dicti fuere Οὐρανίωνες. Jove vero imperium adepto, Ολύμπιοι vocati. Pindarus δώδεκα ανάτας Θεοὺς, duodecim reges Deos appellat. His decimum tertium Alexandrum adscribi Magnum, decreto Athenienses justit Demades, graviter ideo multatus. Eundem honorem Philippus Makedo sibi jam arrogaverat. §. III. Deos hosce juncitum etiam coluere Græci,

134 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

aris, picturis, statuis, imo templis honorarunt.
§. IV. Terrestres Dii sunt, qui in terris versantur, & terrestria procurant. Pertinent huc cum primis Dæmones, seu essentia spirituales, hominum custodes; quorum numerum ad XXX. millia extendit Hesiodus. §. V. Cultus Dæmonibus exhibitus. §. VI. Porro ad terrestres referendi quoque sunt Heroes, ex Deo & homine geniti. Hi majoris statura fuisse reputati sunt, quam mortales ceteri. Ætas Heroum duplex. §. VII. Heroum nobiliorum recensio. Atheniensibus peculiares erant Heroes decem ἑπτάνυμοι, ex quibus tribus corundem nomina fortitiae. Horum ad statuas leges noviter ferendæ proponi solitæ. §. VIII. Heroes honoribus post mortem culti divinis, minoribus tamen, quam Dii cœlestes. Tempa illis exstructa, Ἡγῶα, posita aræ & statuae, sacrificia etiam oblata. §. IX. Dii inferi ex inscriptione quadam antiqua recensiti: Pluto, Ceres, Proserpina, Furiae: quibus, præter judices, Aeacum, Rhadamanthum & Minoa, Hecate & Mercurius jungendi. Nam & Mercurius apud Inferos sua habuit munia. §. X. Huic etiam Deorum generi cultus præstitus, templaque dedicata. Talia Hecatæum; Eumenidum templum juxta Areopagum; Plutonis Pyli, Eleæ urbe, & in pago Nysæorum, cum Proserpina eidem commune; Cereris item & Proserpinæ, apud Megalopolitanos in Arcadia. §. XI. Pro aris scrobes effosæ Inferis, & cavernæ structæ subterraneæ, βόθεαι & μέγαρα. Vox posterior cavernam notat studio elaboratam, & parietibus lapideis instructam. Interdum tamen & aræ ex cespite eisdem collocatae. §. XII. Sacra res Inferis facta victimis nigris. §. XIII. Paul-

li

li verba eo spectant, ut Deos gentium singulos Iesu Christo longe inferiores esse offendatur. Consuetudo scriptorum Veteris Testamenti, Deum verum cum Diis gentium fictis ita comparandi, ut longe his Ille anteferatur. Loca V. T. hic spectantia: in quibus ille potissimum Psalmi XCVII. 7. observatu dignus: Adorate Deum, vos omnes Dii. §. XIV. Hanc consuetudinem sequi Paullus voluit. Phrasis γόνοι κάυπτειν, genu flectere, Homo etiam usurpata, est poplite flexo venerari, adorare: quod Homerus εγγύιδαι solet dicere. §. XV.

§. I.

Qvi verba effati hujus Apostolici postrema: ut in nomine Iesu omne se flectat genu cœlestium, & terrestrium, & inferorum, exponere adhuc instituerunt interpretes, eos per cœlestes partim genios illos purissimos, quos Angelos solemus appellare, partim receptas in cœlos beatorum mentes; per terrestres homines in terris degentes; per inferos vero mortuos sub terram abditos, & coram tribunali Christi aliquando comparituros, intellexisse animadverto. Evidem sentire cum his non dubitarem, si comprobatum luculenter esset, quod ait GROTIUS, vocem ναταχθόνοις usurpari solere de mortuis terra conditis. Sed quum iste vocis usus non satis liqueat; contra autem observaverim, Græcos per ναταχθόνις constanter vel animas designare corporibus solutas, ac,

136 Obs. I. De cœlest. terrestri. & inferis,

ut erat eorum opinio, in locis internis oberantes ; vel Deos etiam Inferorum præsides, præsertim si conjungatur vocabulum cum ἐπιρρειῶν & ἐπιγένεων appellationibus : facile mihi persuasi, ναταχθούσς Deos hic esse inferos. Et quoniam ἐπιρρειῶν & ἐπιγένεων nomina pariter certis tribui numinibus simul memineram ; hinc tandem sic existimavi : „Paullum verbis ipsis Jesum Christum, Diis, „quos Græcorum veneraretur atque coleret „supersticio, omnibus sic opposuisse, ut ho- „rum potentiam atque dignitatem nullam „esse docere voluerit, si cum Sanctissimi Je- „su maiestate comparetur ; ac oportere eos „dem, si existere illos & esse aliquid conceda- „tur, summa reverentia signa exhibere Chri- „sto, maiestate vere divina fulgenti.., Quam equidem sententiam, quum a nemine, quod mihi quidem constet, adhuc fuerit proposita, sic persequi statui, ut primum quinam habiti fuerint Dii cœlestes, quinam item terrestres atque inferi ; deinde cultus eisdem præstigi explicem rationem, (faciet enim hæc plurimum ad intelligendum, quanta in existimatione vulgo illi fuerint, addeturque eo ipso vis comparationi Paullinæ major) tum denique Paullum, morem scriptorum sacrorum antiqui foederis secutum, comparationem illam instituisse ostendam.

§. II.

§. II.

Cœtum Deorum universum in tria distinguere agmina, eorumque unum *Cœlestium*, alterum *Terrestrium*, tertium *Inferorum* appellare nomine, moris fuit Gæcorum patrii. Ad quam tripartitam divisionem aperte respicit *PORPHYRIVS*, a) cum ᾧ, inquit, τοῖς μὲν ὄλυμπίοις Θεοῖς ναύγε τε καὶ θωμάς ἴδευσαντο, χθονίοις δὲ καὶ Ηέωσιν ἐχάρεις, ὑποχθονίοις δὲ βόθρεις καὶ μέγαρα. *Quemadmodum cœlestibus Diis templas & aediculas, & altaria collocarunt, terrestribus vero & Heroibus foscos, inferis autem scrobes & cryptas.* Respexit vero etiam auctor carminum aureorum, quæ Pythagoræ vulgo tribuuntur. Eorum enim tale est initium :

Αθανάτις μὲν πρῶτα Θεάς, νόμῳ ᾧ διάκειται,
Τίμα· καὶ σέβε δόκον, ἔπειθ' Ἡέως αὐγαυδεῖς,
τάς τε καταχθονίας σέβε δαιμονας ἔννομα ρέζων.
Immortales primum Deos, sicuti lege sanctum est,

Honora: & jus jurandum sancte habe; deinde Heroas claros
Et inferos cole Deos, legitima faciens.

In quibus licet expressa *Cœlestium & Terrestrium* mentio facta nulla sit, non desiderantur tamen vocabula idem significantia. Nam

138 Obs. II. De cœlest. terrest. & inferis,

Θεοὶ αἰθάνατοι, Dii immortales, non alii sunt ab ὄντεσιν, sive ὀλυμπίοις, cœlestibus, olympiis ; Ήγετες vero iidem, qui ἐπίγειοι, sive χθόνιοι, terrestres, alias dicuntur, sicuti pluribus deinceps explicabitur. Auctor quidem scholiorum brevium in Homerum, classes Deorum singulas indicaturus, terrestrium loco τὰς θαλασσίας ponit, marinos, eos intelligens, qui, Neptuni auspiciis, mare hujusque tempestates regerent : quales e. c. Glaucus, Proteus, Triton, Amphitrite, Thetis cet. putabantur, atque adeo Neptunum ipsum, quatenus in mari is suam haberet sedem b). Observat, nempe, dictus scholiaxtes, c) Heroas, dum preces ad Deos Cœlestes, τοῖς σερανίοις θεοῖς, funderent, manus sursum extendere ; Marinos vero dum invocarent, easdem mare versus exporrigere ; Inferis denique supplicantes, terram tundere consuevisse. Sed non potuit is Terrestrium eo loco commode invenisse, quia de ritu loquitur Heroum, qui ipsi, uti postea apparebit, magna Terrestrium pars erant. Itaque quo gestu in precibus ad Deos terrestres uti solerent Heroes, inconveniens fuisset explicare, quum numen unum precibus venerari ejusdem ordinis alterum minime soleat. Qui vero in classe Deorum secunda solos Terrestres posse-

b) Vide LVCIANI dialogos marinorum.

c) Ad Iliad. I. v. 564.

suerunt auctores, omissis Marinis, procul dubio, quum mare pars sit globi terrauei, sub Terrestrium nomine Marina etiam Numinia comprehendenterunt.

§. III.

Lustrandæ vero nunc erunt paullo studiosius classes Deorum singulæ, ut accuratius cognoscamus. Cœlestes, eosque θεοὺς μεγάλους, Deos magnos, honoris caufsa, dictos, quotupliciter appellaverint Græci, ex POLYCE discimus. d) Seilicet ὑπερχρανίους vocatos ait, ἐνθανίους, & ΕΠΟΤΡΑΝΙΟΥΣ. Addere potuisset & ὄλυμπίων nomen, scriptoribus tritissimum, quod quidem, Jove imperium adepto, tributum fuit Diis cœlestibus, quum antea vocarentur οὐρανίωνες. Scholiafestes Aristophanis: e) Πρῶτον μὲν τὰς κατὰ Οφίωνα καὶ Ευρυνόμην δέντερον δὲ τὰς κατὰ Κρόνον καὶ Ρέαν, ὃς τινας Ὀμηρος οὐρανίωνας τείτον δὲ Διὶ τὴν αρχὴν καταλύσαντας τὴν ἐκένων, ἃς ολυμπίους κλήσουεν. Quorum hæc est sententia: „Qui „Ophione & Eurynome regnantibus, tuim „qui, Saturno & Rhea imperium tenentibus, „cœli fuere socii, eos Vranionas vocat Ho- „merus. Postremo qui adjumento fuere Jo- „vi in tollendo eorum imperio, hos Olympi-

as

d) *Onomast.* I. I. c. I. sect. 23.

e) *Ad Nubes* v. 246.

140 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

„os solemus appellare,. Ophionem illum, quem hoc loco memorat Scholiaстes, tradunt mythographi imperium cœli, priusquam Saturnus & Rhea potiti illo essent, administrasse, simul cum uxore Eurynome, Oceani filia.
APOLLONIUS Rhodius : f)

Ηειδεν δ' ὡς πρῶτον ΟΦΙΩΝ Εὐχυνόμη τε
Ωκεανίς νιφόεντος ἔχεν κράτος δύλυμποιο
Ωτε βῆ καὶ χερσὸν ὁ μὲν Κεόνω ἔκαθε τιμῆς,
Η δὲ Ρέη, ἐπεσον δ' ἐνὶ κύμασιν Ωκεανοῖο.

Cecinit etiam, quomodo Ophion primum &
Eurynome

Oceanis nivosi habuerint imperium Olympi :
Et quomodo ille quidem, vi & potentia co-
ætus, Saturno cesserit.

Hæc vero Rheæ, ceciderintque ambo in flu-
etus maris.

Hinc & Prometheus apud AЕSCHYLUM
tres sibi cognitos esse ait cœli Reges, Ophio-
nem, Saturnum atque Jovem.

Οὐκ ἐκ τῶνδ' ἔγα
Διστράς τυράννις ἐκπεσόντας ἥθομην ;
Τείτον δὲ νῦν τυραννῶντ' ἐπόψομαι
Αἰχισα καὶ τάχισα.

Nonne vero ex his ego
Duos vidi Reges imperio excidisse ?

Ter-

f) Argonaut. I. v. 503.

g) In Prometh. vincito, non longe a fine, p. m. 55.

Tertium vero, qui nunc regnat, (Jovem)

Pessime & celerrime excidere videbo.

Scholia stes sic commentatur : Δέγει τὸν Οφίωνα καὶ τὴν Εὐευόμην, καὶ τὸν Κρόνον, ὃν ἔριψεν ὁ Ζεὺς. - - - Θασίλευσε πρῶτον μὲν Οφίων καὶ Εὐευόμη, ἐπειτα Κρόνος καὶ Ρέα. Ophionem indicat & Eurynomen, & Saturnum, quem expulit Jupiter. - - - Regnavit primum Ophion & Eurynome, post hos Saturnus atque Rhea. De Olympiorum nomine DIODORVS SICULUS h) : Ζεὺς τὰς μὲν συναγωνισαμένας τῶν θεῶν μόνας ἀνόματεν ολυμπίας. Ex Diiis hos tantum Olympios Jupiter vocavit, qui in bello (adversus Gigantes) sibi adfuerint. Erant vero Dii cœlestes, sive Olympii, numero duodecim : unde Græci eos simpliciter vocarunt τὰς δώδεκα. Complexus est singulos poeta quidam vetus i) his versibus :

Δώδεκά εἰσι θεοὶ μεγάλοι, Ζεὺς, Ήρα, Ποσειδῶν,

Δημήτηρ, Ερμᾶς, Εστία, Κυλλοπόδων,

Φοῖβος, Ενυέλιος τὸν Ἀρην, Πάλλας τὸν Φερόδιτην,

Ἄρτεμις, εἴσι θεοὶ δώδεκα οἱ μεγάλοι.

Duodecim sunt Dii magni, Jupiter, Juno,
Neptunus,
Ceres, Mercurius, Vesta, Claudicans (Vulcanus)

Phæ-

h) Biblioth. hist. l. IV. c. 15. p. 155. ed. Steph.

i) Apud EVERH. FEITHIVM Antiqu. Homer. l. I. c. I. p. 5.

142 Obs. II. De cœlest. terrestre. & inferis,

Phœbus, Mars Enyalius, Pallas, Venus,
Diana, sunt Dii duodecim magni.

Ennius hæc nomina in versus duos latinos coegit, quos nobis servavit APVLEIVS k), qui Est, inquit, aliud genus Deorum, quod Natura visib⁹ nostris denegavit, nec non tamen intellectu eos mirabundi contemplamur, acie mentis acrius contemplantes. Quorum in numero sunt illi duodecim numero, situ nominum in duos versus ab Ennio coartati :

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus,
Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo,

Ad hoc Deorum collegium, quos δώδεκα αιώνας θεοί, duodecim Reges Deos, appellavit PIN DAR VS, l) Momus respiciens, Apollinem vocat, ἐγγεγραμμένον ἐς τὸ τῶν δώδεκα ληξιαρχικὸν, inscriptum albo Deorum duodecim apud LVCIANVM m). Eidem concilio Deus decimus tertius adscriptus fuisset Alexander Macedo, si morem populus Atheniensis gerere voluissest Demadi, civi prædiviti, qui fieri id decreto jussérat. ÆLIANVS : n)
Επιλησίας γάρ της Αθηναίοις παρελθὼν ὁ Δημάδης

εἰψη-

k) De Deo Socratis p. m. 422.

l) Olympion. Oda X. p. 260. ed. Schmid.

m) In Jove Tragœdo T. II. p. 142.

n) Hist. Var. l. V. c. 12.

έψη Φίσατο Θεὸν τὸν Αλέξανδρον τεισκαιδένατον.
Τῆς δὲ αἰσθέσιας ὁ δῆμος τὸ ὑπερβάλλον μὴ ἐνεγκὼν
ζημίαν ἔτιμήσαντο τῷ Δημάδῃ ταλάντων ἕκατον,
ὅτι Θητὸν ἀυτὸν δὴ τὸν Αλέξανδρον ὄντα ἀνέγεραψε
τοῖς ολυμπίοις. Convocata Atheniensium con-
cione, Demades surgens decreto jussit, ut Ale-
xander scriberetur Deus decimus tertius. At
populus, impietatis magnitudinem non feren-
dam ducens, Demadi irrogavit multam cen-
tum talentorum, quod Alexandrum mortalem
adscripsisset Olympicis. CLEMENS Alexan-
drinus: ο) ὅιδε γὰρ ἀνθεώπους ἀποθεεύν τε τολ-
μήσατι, τεισκαιδένατον Αλέξανδρον τὸν Μακέδονα
ἀναγερά Φοντες Θεὸν, ὃν Βαζυλῶν ἔλεγχε νεκρόν. Il-
li, rabula forenses, simulacrorum factores &
adoratores lapidum, ausi sunt homines in De-
os referre, tertium decimum Macedonem Ale-
xandrum in Deorum numerum adscribentes,
quem Babylon arguit mortuum. Arrogave-
rat sibi honorem eundem, Alexandro ab A-
theniensibus denegatum, Philippus jam tum
Macedo, Alexandri parens. DIODORVS Si-
culus p): Τέλος δὲ τῇ πότῳ διαλυθέντος, ηγή τῶν
ἄγωνων κατὰ τὴν ὑπεράιαν τὴν ἀρχὴν λαμβανόντων,
τὸ μὲν πλῆθος ἔτι σύντος ὅσης συνέτρεχεν ἐις τῷ
Θέατρον, ἅμα δ' ἡμέρᾳ τῆς πομπῆς γινομένης σὺν
ταῖς

ο) In Protrept. sive admonit. ad gentes p. 61.

p) Biblioth. hist. l. XVI. c. 93. p. 558.

144 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

ταῖς ἄλλαις ταῖς μεγαλοπρεπέσι κατασκευαῖς, ἔιδωλα τῶν δώδεκα Θεῶν ἐπόμπευε, ταῖς τε δημιουργίαις περιττῶς ἐιργασμένα, καὶ τῇ λαμπρότητι γέπλάτε Θαυμασῶς κενοσμημένα. Σὺν δὲ τύτοις αὐτῷ τῷ Φιλίππῳ τρισκαιδέκατον ἐπόμπευε Θεοπρεπὲς ἐιδωλον, σύνθεζον ἐαυτὸν ἀποδεικνύντος τῷ βασιλέως τοῖς δώδεκα Θεοῖς. Soluto tandem convivio, cum ludi in diem proximum redintegrandi essent, ingens turba, durante adhuc nocte, in theatrum concurrit. Vbi cum cetero apparatus sumptuosissimo XII. imagines Deorum praeferuntur, quam artificiosissime confectae, & splendidissimo rerum preciosarum cultu mirifice exornatae. Inter has decimum tertium Philippi simulacrum, divino per omnia habitu ostentatur: quo confessus in Deorum senatu majestatem sibi rex arrogabat. Optime hoc cognitum habuisse oportet Philipenses, ad quos scripsit Paulus, qui rerum ad Regem istum, urbis lux conditorem, pertinentium memoriam omnium fidelissime sine dubio custodiverunt. Quoties autem illi facti ejus recordarentur, non poterant non simul de concilio cogitare τῶν ΕΠΟΥΡΑΝΙΩΝ Deorum cœlestium, seu, ut poetæ loqui solent, ὀλύμπια δῶματ' ἔχοντων, cœlestes domos incolentium. q)

§.IV.

q) Vid. Hesiodum Opp. & d. v. 128, 139.

§. IV.

Illos jam Deos tum separatim quemque, tum, quod hoc loco potissimum observabimus, junctim universos, cultu prosecuti Græci sunt maximo. Quapropter & aras, & imagines statuasque, & templa illis dedicaverant. Aram consecraverat Pisistratus, Hippiae tyranni filius, in foro Athenarum veteri, cum Archontis munere annuo fungeretur.

ΤΗ Η ΚΥ ΔΙ ΔΕΣ r) : Πειστρατος ὁ ἱππις τῇ τυχαννέσταντος υἱὸς, τῇ πάπιτε ἔχων τὸν νομα, τῶν δώδεκα Θεῶν Βαμὸν, τὸν ἐν τῇ αγορᾳ Αρχων ἀνέθηκε. Pisistratus, Hippiae tyranni filius, avi nomen gerens, duodecim Deorum aram, quae est in foro (vetere) dedicavit. Ad hanc aram Diis eisdem rem divinam facere solitos esse Athenienses, ex his patet HERODOTI s) : οἱ Πλαταιῶν Αθηναῖων ἵεσθαι ποιεύντων τοῖσι δώδεκα Θεοῖσι, ἵκεται ιδόμενοι ἐπὶ τὸν Βαμὸν, ἐδίδοσάν σφεας ἀντίθες. Platæenses, dum rem divinam duodecim Diis Athenienses faciunt, eis ad aram suppliciter sedentes sese dediderunt. Colligere hinc simul possumus, ἄσυλον fuisse aram, sive inviolabilem, quamquam Callistrato non fuit, ὃς Φυγὼν καὶ τῇ Θεῷ ἐν Δελφοῖς ἀπάτας, ὅτι ἀν ἔλθῃ Αθήναζε, τέυξεται τῶν νόμων,

Pars VIII.

K

αφι-

r) Lib. VI. p. 447.

s) Lib. VI. c. 108.

ἀφικόμενος, οὐδὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν τῶν δώδεκα θεῶν καταφυγὴν, όδεν ἔττον ὑπὸ τῆς πόλεως ἀπέθανε. qui postquam damnatus fugisset, & Apollinem Delphis audiisset, quodsi rediret Athenas, legum compotem futurum, mox reversus est, & ad aram XII. Deorum confugiens, nihilominus civitatis decreto morti adjudicatus est, verba sunt LYCVRGIT). Mentionem ejusdem aræ PLVTARCHVS quoque injicit, refertque, juxta eam Demosthenis positam fuisse imaginem u). Κεῖται δὲ ἐκεῖνῳ πλησίον τῇ περιχοινίσματος, οὐδὲ τῷ βωμῷ τῶν δώδεκα θεῶν, ὑπὸ Πολυεύκετος πεποιημένῃ. Situm est simulacrum prope septum & aram duodecim Deorum, a Polyeucto factum. Olympiæ quoque aras sex eisdem Numinibus constituerat Hercules, binis singulis, quas propterea PINDARVS x) βωμοὺς ἔξι διδύμους, sive sex aras gemellas, vocat. Piētos etiam cernere erat Deos duodecim magnos Athenis, in porticu Jovis Eleutherii. PAVSANIAS y): τοιαὶ δὲ ὄπιδειν ὡμοδόμηται γεαφὰς ἔχοστα, Σεις δώδεκα καλλιμένους. Porticus altera, quæ a tergo hujus (porticus variæ) exstructa est (dicitur hæc ab adstante illic Jove Eleutherio,

por-

t) Orat. adv. Leocratem p. 156.

x) In decem Oratoribus, vita Demosth. p. 847.

u) Olympion. oda V. in princ.

y) In Atticis c. 3. p. 8.

porticus Jovis Eleutherii) pictos habet XII,
qui vocantur, Deos. Porro si autem quoque
Numinibus hisce effectæ junctimque collo-
catae sunt. Vedit certe Pausanias z), in tem-
pto quodam Megarenium, τῶν δώδεκα ὄνομα-
ζουμένων ἀγάλματα, duodecim, qui dicuntur,
Deorum signa. Denique Ædem illis singula-
rem Thelpusæ exstruxerant in Arcadia. I-
dem a) : Εἰσὶ δὲ ἐν Θελπύσῃ ναὸς Αποληπτιῶν καὶ
Θεῶν ιερὸν τῶν δώδεκα. τάχτα πολλὰ ἐς ἔδαφος
ἐκείτο ἥδη. Est Thelpusa duodecim Deorum
delubrum, cuius tamen magnam partem solo
equavat vetustas.

§. V.

Progradimur ad *Deos terrestres*, quos
ἐπιγέιες, ἐπιχθονίες & χθονίες reperio appellato-
 tos. Hi rebus certis terrestribus præesse, in
 terris versari, hominum locorumque singu-
 larium curam gerere (quapropter & *ἐπιχώ-*
ρεῖοι interdum vocantur, Latinis *locales*) ex-
 istimati sunt. Sunt in ipso cœlestium nume-
 ro, quibus locus in classe hac assignatus fuit,
 quod negocia, quæ in terris suscipierentur,
 e. g. venationem & agriculturam, singulari
 providentia moderari crederentur, & in ter-
 ra propterea multum degere. Tales e. c.
Diana atque Ceres habebantur, quarum hæc

K 2

eam

z) In Attic. c. 40. p. 46.

a) In Arcad. c. 25. p. 649.

148 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

eam ob caussam χθονία interdum cognominatur, non quidem eo sensu, quo χθόνιος idem sacerdos valet ac παταχθόνιος, sed quo idem notat ac ἐπίγειος. Ita certe, ut ex re ipsa manifestum est, accipi debet vox in his PAVSANIÆ b): χθονία δὲ η θεός τε ἀντη καλεῖται, καὶ χθονία ἐορτὴν πατὰ ἔθος αὔγουσι ὥρᾳ θέσθε. Chthonia certe & Dea hæc (Ceres) appellatur, & statim festi dies, qui aestate in ejus honorem agitantur, dicuntur Chthonia. Nec minus in his APOLLONII Rhodii c):

Οἱ δέ εἰ Δηοῦς

κλείστι χθονίης καλαμήτομον ἔμμυνας ἄρπην.

Δηὴ γαρ κέινη ἐν δή ποτε νάσσατο γάιη.

Alii vero ipsam Cereris

Dicunt terrestris messoriam esse falcem.

Ceres enim illa habitabat quondam in terra. Præcipue vero in hunc censem Dæmones veniunt & Heroes. Dæmonas Thales, οἱ πρῶτος διεῖλε, ὡς οἱ τὰ ἐκένω διαιρεῦντες, αἱρεθῆντες μνημονεύστιν εἰς Θεὸν, εἰς Δάιμονας, εἰς Ήγειας. qui primus triplici divisione, ut referunt, qui philosophiam ejus altius scrutati sunt, Deum, Dæmonas & Heroas nuncupavit) essentias esse docuit animales, seu spirituales, στιλας

ψυχι-

b) In Corinth. c. 35.

c) Argonaut. l. IV. v. 986.

ψυχικάς d): Quam opinionem & suam postea fecit Pythagoras. Eos igitur in ἐπιχθονίοις, seu terrestribus, ponit HESIODVS e), vocatque custodes hominum & observatores, qui aërem induiti passim oberrant per terram:

Toὶ μὲν Δάίμονες ἑΘλοὶ ἐπιχθόνιοι τελέθυσιν f)

Ἄγνοι, ἀλεξικακοι, Φύλακες Θυητῶν αὐθεώπων.

Οἱ ρά Φυλάσσεσιν γέ δίκαιοι καὶ χέτλια ἔργα,

Ηέρει ἐσσάμενοι, πάντη Φοιτῶντες ἐπ' αἰαν,

Πλεγόδοται· καὶ τῷτο γέρας βασιλήιον ἔχον.

Dæmones boni, in terris versantes, sunt
Puri, malorum depulsores, & custodes homi-
num mortalium.

Qui quidem observant justa & prava opera,
Aëre induti, passim oberrantes per terram.
Opum datores, atque hanc regiam dignita-
tem consecuti sunt.

K 3 Eos

d) Vide ATHENAGORAM in Legat. pro Christ. p. 25. Cf. GIB. CUPERI Observat. I. III. c. 16. ubi de Dæmonibus, horumque a Diis & Heroibus differentia, pluribus agitur.

e) Opp. & dierum v. 122.

f) Ita versus hos legunt Plato in Cratyllo & V. de legibus, Plutarchus de orac. defectu, & Aristides, observante ad locum illum GRÆVIO, qui lectio-
nem, tot summorum virorum auctoritate muni-
tam, praferendam merito judicat vulgatae:

Toὶ μὲν Δάίμονές εἰσι Διὸς μεγάλες διὰ βελάς
ἙΘλοὶ, ἐπιχθόνιοι, κ. τ. λ.

150 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

Eos postea g) αὐταρτες etiam prædicat HESIODVS, numeroque ter decies mille esse ait, h. e. longe plurimos, posito numero certo pro incerto:

Τέσις γαρ μύγιοι ἔισιν ἐπὶ χθονὶ πελυβοτέρην
Αθάνατοι Ζηνὸς, Φύλακες Θυητῶν αὐτοράπων.

Ter enim decies mille sunt super terram,
multorum altricem

Immortales Jovis (animi, sive Dæmones,
immortalitate a Jove donati) custo-
des mortalium hominum.

Perspicuum ex sequentibus est, non agi de genere alio, quam de Dæmonibus. Nam eadem plane hic tribuit poeta τοῖς αὐταρτοῖς munia, quæ antea tribuerat τοῖς δαιμοσι. Minus igitur recte locus iste de Diis vulgo capitur quibuscumque indiscriminatim, quum de solis intelligi debeat Dæmonibus.

§. VI.

Cultus honore, licet minore, quam qui Diis ipsis deberetur, dignos judicatos affectosque fuisse Dæmonas, ex testimoniosis, quæ subjicimus, palam fiet. PLATO h): Μετὰ δὲ τά-
τες καὶ ὑπὸ τάτοις ἔξης, Δάιμονας. Λέγουν δὲ γένος,
ἔχον ἔδραν τείτην καὶ μέσην, τῆς ἐρμηνείας αὔτιον,

εὐ-

g) V. 250.

h) In Epinomide p. 639. edit. Gr. Bas. 1556.

ἐνχάρις τιμᾶν μάλα χρεών, χάριν τῆς ἐυφήμιας διαπορέιας. Post hos vero, & sub his (Diis maximis) Dæmonas, genus aëreum, qui interpretationis caussa sunt, in tertia mediaque regione collocatos, precibus votisq[ue] colere debemus maxime, bona intercessionis caussa.

THEMISTIVS i): Δίκαια μὲν δὴ καὶ οἱ πάλαι ἔπραξαν ἀνθρωποι ἐφ Ήρακλεῖ τῷ Δίος καὶ Αλημήνης, ἀποθεισάσαντες τε αὐτὸν καὶ ἵερὰ ἴδια πατασκευάσαντες, καὶ θυσίας θύοντες & μόνον ὅσας ἦσαν θύειν καλὸν ήν, ἀλλὰ ὅσας Δάιμονι ἥδη, ἀλλὰ καὶ ὅσας θεῶ. Juste egerunt prisci homines, quando Herculem, Jovis & Alcmenæ filium, in numerum Deorum retulerunt, & templo eidem exstruxerunt peculiaria, ac sacrificia fecerunt, non modo quæ Heroi fieri parerat, sed talia etiam, quæ Dæmoni, imo quæ Deo ipso. Hinc Græci, cum quem consecratum dicere volunt, ut significant, quo in gradu novus hic Deus fit consecratus, addere solent ei sacrificari ut Heroi, vel ut Dæmoni, vel ut Deo k).

§. VII.

Ad Heroas, qui & ἡμίθεοι s. Semidei dicti,
quod attinet, eos, sicuti Porphyrius, loco su-

K 4

pra

i) *Orat. IV.* quæ inscribitur Σοφιστ[ης].

k) Verbis utimur G I S B. C V P E R I l. c. p. 328.

152 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

pra allegato, cum τοῖς ἐπιγένεοις conjungit, ita
HESIODVS quoque in eadem collocat clas-
se: 1)

Ἄυθις ἔτ' ἄλλο τέταρτον ἐπὶ χθονὶ πγλυβοτέρην
Ζεὺς Κερούδης πόιστε δικαιότερον καὶ ἀρείου
Ανδρῶν Ἡρώων Θεού γένος, οἱ καλέονται
Ἡμίθεοι, προτέρη γενεὴ κατ' ἀπέιρονα γαῖαν.

Rursum aliud quartum in terra, multo-
rum alumna,
Jupiter Saturnius fecit justius & melius
Virorum Herorum divinum genus, qui vo-
cantur
Semidei, priori ætate, per immensam ter-
ram.

Nec obscurum esse cuiquam potest, in lau-
datis supra carminum aureorum versibus Ἡρω-
ας ἀγαυάς, scilicet Heroas claros, pro integro ponit
Deorum terrestrium exercitu. Erant vero
Heroes, ex sententia Thaletis, m) οὐχωρι-
μέναι ψυχαὶ τῶν αἰνθεώπων, separatae (a corpo-
ribus) hominum animæ. Animæ intelligi de-
bent hominum, qui vel partim ex Deo quo-
dam, partim ex homine credebantur geniti,
vel virtute sua eximia factisque præclaris, ut
divini quid inesse illis censeretur, meruerant
efficerantque. Scholia festes Hesiodi: n) Δημό-

στ

l) Opp. & dierum v. 157.

m) Apud ATHENAGORAM loco ad §. V. cit.

n) Ad locum cit. p. m. 78.

σι γὰρ ὅτι Θεοὶ, Θνηταῖς γυναιξὶ μιγνύμενοι, ἐπόι-
γν τὸ τῶν Ἡέων γένος. *Nugantur, quod Dii, fe-*
minis mortalibus mixti, Heroum genus pro-
crearint. Tales e. c. esse ferebantur *Hercu-*
les, ex Jove & Alcumena, *Castor* & *Pollux*,
ex eodem & Leda procreati. *Præclarus maxi-*
me hanc in rem PHILONIS Judæi locus est:
ο) Αλλ᾽ ὃν χεὶ, Φήσει τὶς, τὰς τῶν Ἡέων παράγειν
ἐις πίσιν ἀρεβάτος. Μείζον γὰρ, ἡ κατὰ ἀνθρωπίνην Φύ-
σιν γενομένης ολυμπίοις αἱματικῆς, μικτῆς γενέσε-
ως ἀθανάτων καὶ θνητῶν ἀνακραθέντων σπερμάτων ἐ-
πιλαχόντας, ἥμιθέγε εἰκότως προσαγορευθέντας, τῷ
Θνητῷ μίγματος ὑπὸ τῆς ἀφθάρτης μερίδος κατα-
κρατηθέντος. Sed negabit aliquis, adducendas ad
nostræ sententiae confirmationem virtutes He-
roum, videlicet supra naturam humanam pos-
tas & Cœlestium emulas, propter genus mix-
tum e mortali & immortali semine, ut merito
Semidei vocentur, mortali mixtura ab
immortali parte superata. De mixtura di-
vinæ & humanæ naturæ in Heroibus quod
hic habet Philo, id egregie confirmat LV-
CIANVS p), apud quem Menippus ex Tro-
phonio querit vate, Αλλὰ, πρὸς τῆς μαντικῆς,
τι δὲ ὁ Ἡέως ἐσὶν; ἀγνοῶ γάρ. Age, per vatici-
K 5 nan-

ο) Libro quod omnis probus sit liber p. 681.

p) In Dial. mort. speciatim in dial. Menippi, Amphi-
lochi & Trophonii T.I. p. 267.

154 Obs. II. De cœlest. terrestri. & inferis,

nandi artem, quid est Heros ; nescio enim. Cui Trophonius : τῷ ἀνθρώπῳ τι καὶ θεῷ σύνθετον. Est quiddam ex homine & Deo compositum. Men. ὁ μῆτρα ἀνθρωπός ἐστιν ὡς Φῆς μῆτρα θεὸς, καὶ συναμφώτερόν ἐστι. Quod neque homo est, ut aīs, neque Deus, sed utrumque simul. Neque vero virtutis solum, dum viverent, sed staturæ etiam majoris suisse reputabantur Heroes, quam mortales ceteri. Hinc ARISTOTELES q) Ἡέωας prædicat περῶν κατὰ τὸ σῶμα πολλὴν ἔχοντας ὑπερβολὴν, εἴτα κατὰ τὴν ψυχήν. corpore multum antecellentes, dein etiam anima. Quo & PAVSANIAS r) respicit, Polydamantem μέγιστον ἀπάντων vocans, πλὴν τῶν Ήέων, καὶ εὐδῆ τι ἄλλο ἥν περὶ τῶν Ήέων Θητῶν γένος. statura corporis omnium hominum maximum, Heroibus, & si qua fuit alia hominum ante Heroas natio, exceptis, Aetatem Heroum duplicem facit Hesiodus l. c. eorum, qui Thebanum bellum gesserunt, & qui Trojanum, additque Jovem illos ad terræ constituisse fines, ac tribuisse illis vitam sedemque seorsum ab hominibus : Regem eorum Saturnum esse, ac habitare eosdem ani-

q) Polit. I. VII. c. 14. in princ.

r) Eliac. poster. c. 5. in princ. Cf. GOTTFR. OLEARI ad Philostrati vitam Apollonii l. II. c. 21. not. 8. ubi de insigni Heroum proceritate plura observata reperies. Docetur ibi inter alia, antiquissimis cubitos tributos suisse decem.

animo seculo in Beatorum insulis, juxta oceano profundum.

§. VIII.

Quod si jam nomina requiras eorum, qui Heroum titulo fuere insigniti, dabit illa non omni quidem, sed magna tamen ex parte, **H Y G I N V S**, eo capite, quo de iis, *qui facti sunt ex mortalibus immortales*, exponit. s)
Recenset vero is sequentes: *Herculem*, *Jovis* & *Alcumenæ filium*; *Liberum* (*Bacchum*) *Jovis* & *Semelæ filium*; *Castorem* & *Pollucem*, *Helenæ fratres*, *Jovis* & *Ledæ filios*; *Perseum*, *Jovis* & *Danaës filium*, in stellas receptum; *Arcadem*, *Jovis* & *Calysto filium*, in stellas relatum; *Ariadnem*, *Minois* & *Paphæs filiam*, in Septentrionem relatam; *Cynosuram*, *Jovis nutricem*, in alterum Septentrionem; *Asclepium*, *Apollinis* & *Coronidis filium*; *Panem*, *Mercurii* & *Penelopes filium*; *Crotonem*, *Panis* & *Euphemes filium*, conlaetium Musarum, in stellam Sagittarium; *Icarum* & *Erigonem*, *Icari filiam*, in stellas: *Icarem* in Arcturi, *Erigonem* in Virginis signum; *Ganymedem*, *Assaraci filium*, in aquario duodecim signorum; *Ino*, *Cadmi filiam*, in Leucothoam, quam Latini matrem Matutam dicant; *Melicerten*, *Athamanitis filium*, in Deum Palæmonem; *Myrtilum*

s) *Fab.* CCXXIV.

156 Obs. II. De cœlest. terrestri. & inferis,

tilum, Mercurii & Theobules filium, in Heniochon. Heroum vero omnium postremum Cleomedem fuisse, Astypalensem, PAVSANI-AS t) comprobat hoc oraculi effato :

Τις ατος Ηεώων Κλεομήδης Αγυπαλαιεις,
Ων θυσίαις τιμᾶθ', ἡς μηνέτι Θνητὸν ἔοντα.

Ultimus Heroum Cleomedes est Astypalensis,
Quem sacrificiis honoratis, ut qui non amplius sit mortalis.

Atheniensibus Heroes peculiares decem erant, ἐπώνυμοι dicti, quod ex eorum nominibus tribus Atticorum decem essent nuncupatae. HARPOCRATION : u) Επώνυμοι ὁι μὲν δέκα τὸν ἀριθμὸν, ἀφ' ὧν αἱ Φυλαί. Eponymi decem erant numero, de quorum nominibus tribus appellatae. Erant autem isti : Hippothoon, Antiochus, Ajax, Telamonius, Leo, Erechtheus, Ægeus, Oeneus, Acamas, Cecrops, Pandion, enumerante Pausania, x) qui & statuas eorum in Ceramico, prope quingentorum curiam, positas fuisse refert. Ad quas statuas leges, antequam ferri possent, novæ proponi solebant, ut inspici possent ab omnibus & accurate examinari. Author est Suidas l. c. nixus quidem, ut videtur, hoc DEMOSTHENIS testimonio : y)

Kai

t) Eliac. poster. c. IX. p. 474.

u) Voce ἐπώνυμοι. Cf. Suidam eadem voce.

x) In Atticis c. V. Cf. Phocica ejusdem c. X.

y) Orat. in Leptinem p. 373.

Καὶ τρέπονται γε ἐπέτειον ἐνθεῖναι πρόσθεν τῶν
ἐπωνύμων, καὶ τῷ γραμματεῖ παραδίδονται. Τέτοιο
δὲ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγνώσκειν, ἵνα ἔκατος ὑμῶν
ἀκόστας πολλάνις, καὶ πατὰ χολὴν σκεψάμενος,
ἢ ἀνὴρ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα, ταῦτα νομοθε-
τῆν. *Quin etiam ante hæc jussit Solon, ante*
statuas Heroum, a quibus cognominatae tri-
bus sunt, proponi legem, & scribæ tradi, qui
eam in concionibus legeret, & unusquisque
vestrum sæpe auditæ, & per otium considera-
ta, ea, quæ justa essent & utilia, suis suffra-
giis comprobaret. ANDOCIDES: z) ὅποστων
δὲ ἀν προσδέοι, ὅιδε ἡγημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς
βαλῆς ἀναγραφόντων ἐν σανίσι, καὶ ἐκτιθέντων πρὸς
τὰς ἐπωνύμias, σκοπεῖν τῷ βαλομένῳ. *Quibus-*
cunque autem opus sit, ea lecti a senatu legis-
latores, in tabulis descripta, proponant ad Epo-
nymos, ut a volente quovis possint inspici.

§. IX.

Vita functi Heroes non immortalitatem
solum, quæ illis cum animis omnium com-
munis esset a), sed naturam quoque humana
longe meliorem, ac divinæ Numinum cœ-
lestium propinquam, induere putabantur.
Igne scilicet pyræ feralis, in qua corpus cre-
man-

z) Orat. I. quæ est de *mysteriis* p. 213.

a) Vide CICERONEM de *Leg.* I. II. p. 1251.

158 Obs. II. De cœlest. terrefstr. & inferis,

mandum repositum fuisset, partem eorum mortalem absuntam credebant Græci. Hinc de se ipso Hercules, ad matrem Alcmenam, apud SENECA M ait : b)

Quicquid in nobis tui

Mortale fuerat, ignis injectus tulit :

Paterna cœlo pars data est, flammis tua.

Et Jupiter de Hercule, flammis Oetæis concremando, apud OVIDIVM. c)

Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes :

Nec nisi materna Vulcanum parte potentem

Sentiet, eternum est a me quod traxit & ex-

pers

Atque immune necis, nullaque domabile

flamma.

Idque ego defunctum terra cœlestibus oris

Accipiam.

LVCIANVS de eodem d) : ὥσπερ Φασὶ τὸν
Ηέρκαλέα εὐ ίῆ Οἰτη καλακαυθέντα, Θεὸν γενέθαι.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἀποβαλὼν ὅπόσον ἀνθεώπειον ἔιχε
παρὰ τῆς μητρὸς καὶ παθαρί τε, καὶ αἰκήσαλον
Φέρων τὸ Θεῖον, ἀνέπτατο εἰς τὰς Θεάς διευκρινηθὲν
ὑπὸ τῆς πυρός. Ut combustum in Oeta monte
Herculem Deum factum ferunt. Etenim ille
quum abjecisset quidquid humani a matre
contraxerat, & puram atque incorruptam di-
vini-

b) In Hercule Oetaeo v. 1965.

c) Metamorph. IX. v. 250.

d) In Hermotimo T. I. p. 509.

vinitatem ferret, illa ab igne discreta ad Deos subvolavit. Hinc idem Heros CALLIMACHO e) dicitur γυνα θεωθεις, membra in Deum mutatus. Eadem ratione Ceres, volens Triptolemo immortalitatem conferre,

Inque foco pueri corpus vivente favilla

Obruit, humanum purget ut ignis onus f).

Naturam vero divinam adepti Heroes, facile quoque honores consequbantur divinos. Sic statuas illis, aras templaque magno numero fuisse dedicata, quis est, qui inspectis Pausanias, Strabonis, Plutarchi aliorumque Græcorum monumentis, possit ignorare? Pariter nec de sacrificiis, fieri eisdem solitis, dubitari ullo modo potest. De statu Heroum §. præcedente nonnulla jam attulimus, nec opus est pluribus in re pervulgata. Aras eisdem positas ἐχάρας vocari moris erat. POLLUX: g) ἐχάρα ἴδιως δοκεῖ μὲν ὡδε ἀναμάθαι, ἐφ ἦς τοις Ἡρωσιν αποθύομεν. ἐχάρα proprie vocari videtur, super quam sacrificamus Heroibus. Quanquam id perpetuum non est, quum eodem interdum nomine Deorum quoque aras, βωμοὶ vulgo dictas, appellaverint poetæ. Quocirca & addit POLLUX

-
- e) *Hymnus in Dianam* v. 159. ad quem locum præclaræ sunt quæ observavit SPANHEMIVS.
f) *OVIDIUS Fast. I. IV.* v. 553.
g) *Onomast. I. I. c. I.* sect. 5.

160 Obs. II. De cœlest. terrestri. & inferis,

L V X : Ενιοι δὲ τῶν ποιητῶν καὶ τὸν τῶν Θεῶν βωμὸν ὄντω κευλήναστι. Poëtarum nonnulli etiam Deorum aram hoc nomine nuncupaverunt. Exemplo fint ista EVRIPIDIS : h)

Μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος

Μαντεῖα σεμνὰ, Δοξίς τ' ἐπ' ἔχαρες.

Cumque esset me missurus Oedipi filius inclitus

Ad venerandum oraculum, & Apollinis ad aras.

Erat autem ἔχαρα ara miniime elata, sed paulo ultra terram surgens. ἔχαρα ἡ ἐν τετραγώνῳ περὶ γῆν βάσις βωμός, τάξιν ἔχοσα ἀναβάστασις, inquit Scholia festis Euripidis i); quorum verborum hunc esse credo sensum : ἔχαρα terram dici quadrati forma aggestam, humilem tamen illam, ita, ut baseos altaris cuiusdam (cui insisterent rem sacram super altare facientes) haud excederet altitudinem, careretque ideo ascensu. A Templis Heroum, operose commemorandis, ideo abstinemus merito, quod nemo facile tam omnis antiquitatis expers erit, quin templorum, Herculi, Castori & Polluci aliisque Heroibus conditorum, habeat notitiam. Dicebantur illa vulgo ἱέων, colebanturque Athenis religione

h) In Phœnissis v. 290.

i) Cf. HESYCHIVM & SVIDAM VOCE ἔχαρα. Ade CYPERVUM Observ. l. I. c. XII. p. 95. sqq.

ne tanta, ut si vel ilicem quis parvam ex luco
Heroi (nam juxta templa luci ut plurimum
plantati erant) excidisset, eum morte mul-
tarent. k) De *sacrificiis* mirandum sane,
negare V O S S I V M l), fuisse sacrificium in
honoribus Heroicis. Liquet enim vtique
ex allatis modo Pollucis verbis, usitatum fu-
isse apud Græcos Heroibus quoque rem di-
vinam facere. Præterea vero oraculum Am-
imonis, de Hephaestione defuncto consultum,
sacrificari huic jussit ita, ut soleat Heroi,
τιμᾶν Ἡφαιστίωνα, ηγῇ Θύειν, αὐτὸς Ἡέωι m). Tol-
lunt etiam dubitationem omnem hæc PAV-
SANIÆ n): καὶ Μαχάονι τῷ Ασκληπιῷ πρῶ-
τος ἐθυσεν ἐν Γερενίᾳ γέρα δὲ ἀπένειμε Μεσσήνῃ
τῇ τριόπα τὰ νομιζόμενα Ἡέωσιν. Idem (Glau-
cus) Machaoni, Aesculapii filio, primus in
Gerenia rem divinam fecit, & Messenæ,
Triopæ filiæ, solita Heroibus munera (sacri-
ficia) tribuit. Tametsi vero honores He-
roibus exhiberentur divini; pares tamen il-
li non esse debuerunt Deorum cœlestium
Dæmonumque honoribus. Jussit saltem Py-
Pars VIII. L tha-

k) Vide AELIANVM Hist. var. I. V. c. 17.

l) De orig. & progressu idolol. I. I. c. 12. p. m. 96.

m) PLVTARCHVS in vita Alexandri p. 704.

n) In Messen. c. III. p. 287. Cf. quæ de Cleomede,
Heroum ultimo, §. VIII. ex eodem auctore attu-
limus.

thagoras o), Deos Dæmonibus in honore præterri, hominibus autem Heroas, Θεοὺς μὲν Δαίμονων πρεστιμᾶν Ἡέων δὲ αὐθεόπων. Cui quidem præcepto sic obtemperarunt Græci, ut in tempore etiam ordinem illum servaverint, quippe primum Diis, post vero Heroibus sacrificantes. PLVTARCHVS p):
 καὶ γὰρ Ἑλλῆνες ἐν τῇ νυμηνίᾳ τὰς θεὰς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν Ἡέων τὴν Δάιμοσιν αποδεδώκασιν, καὶ τῶν πρατήγων ὁ δευτερός Ἡέων ἐπικίνενται καὶ Ἡέωσι. Græci in novilunio Diis rem sacram facientes, proximum ab eo diem Heroibus ac Dæmonibus addixerunt, craterumque secundus Heroibus ac Heroinis miscetur. Accidit tamen interdum, ut iis, quibus Heroici primum honores essent habiti, divinis postea delati datique fuerint æquales. Quod illis potissimum contigit, qui ex Heroibus in numerum Deorum credebantur recepti. Tales Hercules, Bacchus, Ganymedes & Æsculapius, quos propterea LVCIANVS q) παρεγγεάπτες appellat, seu Deos adscriptitios. Tales etiam Castor & Pollux, cum sorore Helena, de quibus idem LUCIANVS r): τεκμήριον δὲ, τῶν γὰν θεῶν ἐξ Ἡέων γενομένων, Ἡέω-

o) Apud DIOG. LAERT. in *Pythagora* p. m. 581.p) In *question. Rom.* p. 270.q) In *Jove Tragædo T. Opp. II.* p. 140.r) In *Charidemo. Ibid.* p. 784.

Ηέρακλης τέ ἐστιν ὁ Διὸς, καὶ Διόσηροι καὶ Εἵλενη· ὃν ὁ μὲν αἰνδρίας ἔνεκα τάυτης λέγεται τυχεῖν τῆς τεμῆς. Εἵλενη δέ, τῇ πάλλῳ χάριν, αὐτὴν τε μεταβαλεῖν εἰς Θεὸν, καὶ τοῖς Διόσηροις αἰτίᾳ γενέθαι πρὶν αὐτὴν εἰς δρακὸν αἰνελθεῖν τοῖς υπὸ γῆν συνεξητασμένοις. Argumentum hujus rei tale furerit. Nam eorum, qui ex Heroibus in numerum Deorum recepti sunt, Hercules, & Diōscuri, & Helena Jovis sunt proles: quorum ille quidem, fortitudinis caussa, honorem hunc consecutus esse dicitur. Helena autem pulcritudinis gratia, cum se ipsam in Deam mutasse, tum fratribus Diōscuris caussa fuisset, ut ante ipsam in cælum ascenderent, iis, quibus ceteri vita functi sub terra obnoxii premuntur, exsoluti. Tradit etiam de Lampsace virginē PLVTARCHVS s), ei primum heroicos, postea divinos tributos fuisset honores a Lampsacenis: τῇ Λαμψάνῃ πρότερον ἡρῷας τιμας ἀποδιδόντες, ὑστερον ὡς Θεῷ Θύειν ἐψηφίσαντο καὶ διατελεῖσιν ὅτα Θύοντες. Lampsacæ cum initio heroicos honores habuissent, postmodo ut Numini sacrificandum decreverant: idque decretum adhuc ratum est apud eos.

§. X.

Ad Inferos nunc tandem descendendum
L 2 erit,

s) De virtut. mulierum p. 255.

erit, quos ὑπογέιες, χθονίες, ὑποχθονίες & καταχθονίες vocari suevisse POLLVX obseruat t). DIONYSIVS Halicarnassenus u) Δάιμονας καταχθονίες appellat, imitatus, ut videtur, carminum Pythagoræ aureorum auctorenam, qui eodem plane modo nuncupavit x):

τέσ τι καταχθονίες σέβε Δάιμονας.

Frustra enim ad h. l. HIEROCLES est, quando per Δάιμονας animos hic intelligi ait hominum, ἀληθέα καὶ ἀρετὴ ποσιηθέαται, veritatis cognitione & virtute ornatos, quum sit ex prioribus, & ex addito καταχθονίες, evidentissimum, vocem Δάιμονας late hic capiendam esse, ut idem valeat, quod Θεος: quo sensu & HOMERVS interdum utitur, e. c. in hoc:

Η δ' ἐλυμπόνδε βεβήνει

Δώματ' ἔς ἀνγιόχοο Διὸς μετὰ Δάιμονας ἄλλας.

Ipsa (Minerva) vero ad cœlum ascen-
dit

Ad domos ægidem gerentis Jovis, ad ceteros
Deos.

Princeps Deorum Inferorum, & quasi Rex,
Pluto censematur, dictus propterea HESIO-

DQ

t) Onomast. I. I. c. I. sect. 23.

u) Antiqu. Rom. I. VI. c. 80.

x) Iliad. I. v. 223.

DO y) Ζεὺς χθόνι^Θ, Jupiter infernus, Poetis aliis χθόνι^Θ βασιλεὺς, & θεὸς χθόνι^Θ, καὶ ἔξοχὸν. Quænam vero præterea in ordine hoc Numinæ collocarint Græci, cognoscere bonam partem licet ex inscriptione quadam antiqua, quæ ante hos CLXX. circiter annos Athenis ostensa fuit, & a LVD. ANT. MVRATORIO, ex codice manuscripto bibliothecæ Ambrosianæ, in lucem est protracta z). Est vero hujusmodi:

ΠΑΡΑΔΙΩΜΙ ΤΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ ΘΕΟΙΣ
ΤΟΤΤΟ ΤΟ ΗΡΩΝ ΦΤΛΑΣΣΕΙΝ
ΠΛΟΥΤΩΝΙ ΚΑΙ ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ^Θ
ΚΑΙ ΕΡΤΝΤΣΙ ΚΑΙ ΠΑΣΙ ΤΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ
ΘΕΟΙΣ
ΕΙ ΤΙΣ ΑΠΟΚΟΣΜΗΣΕΙ ΤΟΤΤΟ ΤΟ ΗΡΩΝ
Η ΑΝΑΣΤΟΜΩΣΕΙ Η ΤΙ ΚΑΙ ΕΤΕΡΟΝ
ΜΕΤΑΚΙΝΗΣΕΙ Η ΑΤΤΟΣ Η ΔΙ ΆΛΛΟΤ
ΜΗ ΓΗ^Θ ΒΑΤΗ^Θ ΜΗ ΘΑΛΑΣΣΗ^Θ ΠΛΩΗ^Θ
ΆΛΛΑ ΕΚΡΙΖΩΘΗΣΕΤΑΙ ΠΑΝΓΕΝΕΙ
ΠΑΣΙ ΤΟΙΣ ΚΑΚΟΙΣ ΠΕΙΡΑΝ ΔΩΣΕΙ ΚΑΙ ΦΡΙΚΗ^Θ
ΚΑΙ ΠΥΡΕΤΩ^Θ ΚΑΙ ΤΕΤΑΡΤΑΙΩ^Θ ΚΑΙ ΕΛΕΦΑΝΤΙ^Θ
ΚΑΙ ΟΣΑ ΚΑΚΑ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ ΓΙΓΝΕΤΑΙ
ΤΑΤΤΑ ΓΕΝΕΣΘΩ ΤΩ^Θ ΤΟΛΜΗΣΑΝΤΙ
ΕΚ ΤΟΤΤΟΥ ΤΟΥ ΗΡΩΟΥ ΜΕΤΑΚΙΝΕΙΣΘΑΙ ΤΙ.
Quæ sic transtulit Muratorius: *Trado Inferis Diis hoc sepulcrum custodiendum, Plutoni, Cereri, Proserpinæ, & Furiis, & omnibus Inferis*

y) Opp. & dierum v. 465.

z) In Notis ad Anecdota Graeca p. 7.

feris Diis. Si quis spoliaverit hoc sepulcrum, vel aperiet, vel etiam aliquid aliud dimovet, vel ipse, vel per alium: neque terra incedat, neque mari naviget, sed eradicabitur funditus, omnibus malis occupabitur, & horrore, & febri, & quartana, & elephantiā. Et quæcunque mala hominibus accidunt, ea eveniant illi, qui ausus fuerit aliquid ex hoc sepulcro amovere. Expressa igitur inscriptione hac videmus Numina Inferorum præcipua, nominatim *Plutonem*, *Cererem*, *Proserpinam* & *Furias*, quas Εγεννάς vocat **HESIODVS** a), Athenienses, pro consueto suo ἐν Τημιστῷ, blandiori vocabulo Ευμενίδας, quasi *Benevolas* dicas, appellabant, item σεμνᾶς Θεᾶς, *Deas graves*. Numero tres erant: Αληκτώ, τισιφόνη, Μεγάρεα, *Alecto*, *Tisiphone* & *Megaea* b). Dii Inferorum reliqui, e. c. *Æacus*, *Rhadamanthus* atque *Minos*, judicum munere fungentes, *Hecate* & *Mercurius*, sub vocibus ΚΑΙ ΠΑΣΙ ΤΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, comprehenduntur. De ceteris nihil esse potest dubii; possit vero oboriri forsitan aliquid de *Mercurio*, in Cœlestium cœtu supra numerato. Verum uti Cereri non in cœlo solum & in terra, sed etiam apud Inferos suæ datæ fuere partes: ita Mercurio quoque in Inferorum regno sua assignata sunt

a) *Opp. & dierum v. 801.*b) *V. APOLLODORI Bibliothecam I. I. c. I. §. 3.*

sunt munia. Scilicet ducere illum & reducere animas vulgo existimabant, ideoque Πομπέα, Ductorem nuncupabant. DIOGENES Laertius, ex sententia Pythagoræ c): τὸν δὲ Εέμην ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν· καὶ διὰ τότο Πομπέα λέγεσθαι, καὶ Πυλαῖον, καὶ χθόνιον, ἐπειδήπερ ὅτος ἐισπέμπει ἀπὸ τῶν σωμάτων τὰς ψυχὰς, ἀπό τε γῆς καὶ ἐν θαλάσσῃς· καὶ ἄγεσθαι μὲν τὰς καθαρὰς ἐπὶ τὸν ὑψίστον· τὰς δὲ ἀκαθαρτὰς μήτε ἐκείναις πελάζειν μήτε ἀλλήλαις, δεῖθαι δὲ ἐν ἀρρήπτοις δισμοῖς ὑπὸ Εειννύων. Mercurium animalium quæstorem esse, atque ideo Ductorem dici, Janitorem, ac Infernum (non Terrenum, ut reddidit interpres), quod is ex corporibus, & ex terra & mari animas immitat, & puras quidem atque purgatas in excelsum ducat: impuras vero illis ne appropinquare quidem, neque invicem sibi ipsis; ceterum vinciri a Furiis infractis nexibus. Hinc & Aeschylus illum cum Diis inferis ceteris conjungit d). Sic enim Chorus, Darii animam evocans, apud illum loquitur:

Αλλὰ χθόνιοι Δάιμονες αἴγνοι,
Γῆ τε καὶ Εέμη, Βασιλεῦ τ' ἐνέρων,
Πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὰν ἐς Φάος.

L 4

Sed

c) In Pythagora p.m. 586.

d) In Persis p. 133. ed. Gr. Canteri Plantin.

168 Obs. II. De cœlest. terrestre. & inferis,

Sed o Dii infernales puri,
Tellus, (Ceres) Mercuri, & Rex Inferorum
(Pluto)

Remittite animam in lucem.

CLAUDIANVS de eodem e):

Commune profundis
Et superis Numen, qui fas per limen u-
trumque
Solus habes, geminoque facis commercia
mundo.

Denique eandem ob caussam Mercurium
PLVTARCHVS f) Proserpinæ vocat συν-
ουσίον, contubernalem.

§. XI.

In cultus honore partes licet postremas a mortalibus retulerint Inferi; minime tamen sic fuere neglecti, quin *templa* illis consecrata sint *passim*, & *sacrificia* crebrius oblata. Sic Pyli, Eleæ urbe, templum suum habuit Pluto. STRABO g): Καὶ δὴ καὶ τέμενός ἐστιν Ἀδε πρὸς τῷ ὄρει τιμωμενον ὑπὸ Μακισίων. Sane & *templum est Plutonis ad montem, quod ve-*
nnerantur Macistii. Eidem in Nysæorum pago templum fuit positum, idque cum *Proserpina* conjugé ei commune. Idem Geographus : h) Εν δὲ τῇ ὁδῷ τῇ μεταξύ τῶν Τραλλεων

καὶ

e) De raptu Proserpinæ v. 89.

f) De facie in orbe lunæ p. 943.

g) Geograph. l. VIII. p. 529.

h) Lib. XIV. p. 960.

καὶ τῆς Νύστης καώμη τῶν Νυσταέων ἐσὶν γὰρ ἀπωθεῖ
τῆς πόλεως Αχάρακα, ἐν δὲ τῷ Πλαγτώνιον, ἔχον καὶ
ἄλσος πολυτελὲς, καὶ νεών Πλάγτωνός τε καὶ Κό-
ρης. i) In via inter Tralles & Nysam pagus
est Nysæorum, haud procul urbe, nomine A-
characa: In eo Plutonium est, lucum habens
preciosum, & templum Plutonis ac Proserpinæ.
Vidit etiam Pausanias templum Proserpinæ
apud Megalopolitanos, in Arcadia. Scribit
enim: k) τῇ ναῖς δὲ τῶν μεγάλων Θεῶν ἐσὶν οἰεῖσθαι
ἐν δεξιᾷ καὶ Κόρης: Ad templi Dearum magna-
rum dextram, fanum quoque est Proserpinæ.
Hecates templum APOLLONIVS celebrat
Rhodius l), vocans περιαλλέα νηὸν, templum
magnificum. Memorat etiam A R I S T O P H A-
N E S Επαταιον, delubrum Hecataeum. m)
Porro Eumenidibus etiam, sive Furiis, condi-
tum Athenis, juxta Areopagum, templum fu-
erat, ab Epimenide dedicatum. n) P A U S A-
N I A S : o) Πλησίον δὲ οἰεῖσθαι Θεῶν ἐστιν, ἀς καλλί-
τιν Αθηναῖοι Σεμναῖς, Ήσιόδος δὲ Εριννῦς ἐν Θεογονίᾳ.

L 5

Pro-

- i) Sic emendandum censet ALMELOVENIVS vulgatum Ἡρῆς, provocans ad epistolam Spanhe-
mii ad Morellum, p. 112. & 113. ubi plura hac de re
legantur.
- k) In Arcad. c. 31. p. 665.
- l) Argon. III. v. 251. & 841.
- m) In Vespis p. 472.
- n) Vide DIOG. I. AERT. in vita Epimen. p. 79.
- o) In Atticis c. 28.

170 Obs. II. De cœlest. terrestr. & inferis,

Prope Areopagum Dearum est Ædes, quas Athenienses Severas, Hesiodus vero Erinnys nominat in Theogonia. Rationem, quare isto potissimum in loco exstructum fuerit templo, V LPIANVS explicat, Demosthenis commentator : p) τῇ ἐξ Αρέως πάγῳ βραλῆ τὰς τῶν Ευμενίδων ἐστέργαστο, ὃν καὶ τὸ ιερὸν πλησίου ιδεύτο τῆς βραλῆς· καὶ οὐ μέν Φασιν, ὅτι διὰ τὸν Ορέστην ἐκεῖ ιαθιδρύθη. Βέλτιον δὲ λέγειν, ὅτι διὰ τὰς Φονικάς ἐπειδὴ γάρ ἐν Αρέωι πάγῳ τὰς τῶν Φονέων ἐδιάχοντο ἐκεῖ ιαθιδρύθησαν, οὐ δὲ τις καὶ λαυθάνειν μέλλοι τὴν βραλήν, ἀντας συναγωνίζωνται πρὸς τὸν ἔλεγχον ἐγγὺς ἐΦεβώσαι. Senatui Areopagitico sacra Eumenidum mandata erant, eorumque fanum prope illorum curiam fuerat constitutum, propter Orestem quidem, ut non nulli ajunt. Sed rectius dicas propter causas capitales, quia in Areopago caussæ capitales tractabantur, ut et si quid lateret senatum, hæ ad coarguendum facinus adjutrices essent, in procinctu stantes.

§. XII.

Aræ Inferis vulgo struebantur nullæ, sed scrobes tantum, sacrificiorum caussa, effodiebantur, cavernæque subterraneæ apparabantur : quarum hæ μέγαρα vocabant Græci, illas

p) Enarrat. orat. Demosth. contra Midiam p. 180.

illas βόθες. Apparuit id jam tum supra, §. II.
ex Porphyrio: Apparet etiam ex iis, quæ ad
STATIVM observavit LVTATIVS inter-
pres q): *Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ
piationem facimus, scrobiculo facto Inferis;
Terrefribus supra terram sacrificamus; Cœ-
lestibus exstructis foci.* Confirmari autem
nunc expedit antiquiorum testimoniiis. Pri-
mum HOMERI esto, apud quem Vlysses: r)

Ελθὼν εἰς Ιθάκην σέιεν τοῖς βόσι,
πρέξειν ἐν μεγάροισι, πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἔσθλῶν.

Pollicitus sum precibus ad Inferos, me,
*Vbi venerim ad Ithacam, sterilem bovem,
quæ esset optima,
Sacrificaturum in cavernis subterraneis,
pyramque impleturum bonis.*

Perperam interpres ἐν μεγάροισι reddidit, in
ædibus. Evidens enim ex Porphyrio est, idem fe-
re significare, quod βόθεος: videturque o-
mnino voce hac *caverna* denotari *studio elab-
orata*, ut durabilis esset, crebriusque usui
inservire posset eidem, instructa quidem ab o-
mni parte parietibus lapideis, domui quodani-
modo similis, unde & μεγάρες nomen, quod
domum designat proprie, datum ei arbitror.
De βόθεω idem poëta paulo post:

τὸς

q) Ad *Thebaidos* l. V.

r) *Odyss.* XI. v. 30.

172 Obs. II. De cœlest. terrestri. & inferis,

τὸς δὲ ἐπεὶ ἐυχωλῆσι λιτῆσι τε ἔθνεσι νεκρῶν
Ελλισάμην τὰ δὲ μῆλα λαβὼν, ἀπεδειχούμηντο
Ἐς Βόθρον.

*Hos postquam votis precibusque gentem sci-
licet mortuorum,
Precatus sum, tum vero pecora sumta ju-
gulavi*

In foveam.

Quæ fovea, cuius fuerit magnitudinis, antea
indicaverat :

Βόθρον ὕρυξα ὅσον τε πυγέστον ἔνθα καὶ ἔνθα.
Scroberem fodi undique cubitalem.

PHILOSTRATVS : s) Θεοὶ μὲν γὰρ χθόνιοι
Βόθροις εἰσπάζονται καὶ τὰ ἐν κόιλῃ τῇ γῆ δεώμεναι.
Dii Inferi scrobe gaudent, & iis, quæ in ter-
ra concavis fiunt, sacrificiis. VALERIVS
FLACCVS : t)

*In scrobibus crux, & largus Phlegethonitis
operti*

*Stagnat honos, sævoque vocat grandæva tu-
multu*

*Theffalis exanimes atavos, magnæque ne-
potem*

Pleiones.

Constructas tamen interdum, juxta scrobes,
aras quoque fuisse ex cespite, hæc docent
OVIDII : u)

Sta-

s) De vita Apollonii l. VI. c. II. in fine.

t) Argonaut. l. I. v. 733.

u) Metamorph. l. VII. v. 240.

Statuitque aras e cespite binas
Dexteriore Hecates, at læva parte Juventæ
(Proserpinæ)

Quas ubi verbenis silvae incinxit agresti;
Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit, cultrosque in guttura velleris
atri
Conjicit; & parulas perfundit sanguine
fossas.

Mox addit: x)

Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
Tingit, & intinctas geminis accedit in aris.

§. XIII.

Victimæ autem non perinde erat, quales offerrentur Inferis, sed oportebat eas furvas esse, seu coloris nigri, uri contra pro Superis hostiæ requirebantur candidæ, quia scilicet ut cœlo splendor, ita Morti atque Inferis caligo convenit. ARNOBIVS: y) Sed si sexibus sexus pares, id est feminas feminis, marres autem hostias Diis maribus immolari sacrificiorum jura præscribunt, quæ in coloribus ratio est, ut merito his albas, illis atras conveniat nigerrimasque maectari? Quia superis Diis, inquit, atque omnium dexteritate polentibus, color lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris. At vero Diis lævis, sedesque

x) Versu 259.

y) Adv. gentes I. VII, p. 225. ed. Lugd. 1651.

que habitantibus inferas, color furvus est gravior & tristibus suspectus e fucis. Non longe post hæc subjicit Arnobius: *Quæ caussa quæ ratio est, ut tetræ Inferis hostiæ nigerrimique admoveantur coloris?* *Quia nigra nigris conveniunt, & tristia consimilibus grata sunt.* Sic & A C R O N, vetus Scholia festes, ad locum quendam Horatii z) hæc annotavit: *Superis aptior erat alba viætima; nam Diis infernalibus semper nigra offerri debent.* Idem plane confirmat V I R G I L I U S, docens simul, oves nigras, vaccas steriles atque tauros immolari sueuisse Inferis. Ritum enim sacrificandi Inferis, ab Ænea adhibitum, exposens, ait: a)

Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos

Constituit, frontique invergit vina sacerdos:
Et summas carpens media inter cornua
fetas,

Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cæloque ereboque potentem.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruentem
Suscipiunt pateris: ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magna que sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina,
vaccam.

Tum

z) Libri III. Odam VIII. v. 5. & 6.

a) Æn. VI. v. 243.

Tum Stygio Regi nocturnas incoat aras:
Et solida imponit taurorum viscera flammis.
Ob oculos habuisse videtur Virgilius Vlyssis
exemplum, quem HOMERVS inducit b)
ipsum quoque sacrificantem Inferis βεντέ-
ραν, sterilem vaccam, & οὐ παυμέλανα, ovem
totam nigram. Alibi VIRGILIVS sues
quoque commemorat, Inferorum sacrificio
adhibitas c):

Cedit quinas de more bidentes
Totque sues, totidemque nigrantes terga
juvencos.

Vinaque fundebat pateris: animamque vo-
cabat
Anchise magni, manesque Acheronte re-
missos.

Ingens hic se offert testium etiam aliorum
copia, ex quibus tamen, tædii vitandi caussa,
nonnisi Lucretium excitabimus & Tibullum.
LVCRETIVS d):

Et nigras maectant pecudes & Manibus
divis

Inferias mittunt.
TIBULLVS e):

In-

b) Odyss. XI. v. 30. sqq.

c) Æn. V. 96. Cf. v. 735. 736.

Huc casta Sibylla

Nigrantum multo pecudum te sanguine ducet.

d) Lib. III. de rerum natura v. 52.

e) Lib. III. el. V. v. 33.

176 Obs. II. De coelest. terrestri. & inferis,

*Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula missa mero.*

Denique quemadmodum cum reliquorum Numinum sacrificiis preces esse solebant conjunctæ: ita illæ Inferis quoque admovebantur, dum res illis sacra fieret. Discere id est ex his HOMERI versibus f), quorum quidem alter supra jam fuit allatus:

Πολλὰ δὲ γνώμην νεκύων ἀμενηνά πάρενται.

Multum autem precatus sum mortuorum infirma capita.

*Τὸς δ' ἐπεὶ ἐνχωλῆσι λιτῆσι τε ἐθνεα νεκρῶν
Ελλισάμην.*

*Postquam vero votis precibusque gentes
mortuorum*

Precatus sum.

§. XIV.

Declaratum, credo, abunde est, tum quaque ratione Deos suos dividere Græci consueverint, tum quali cultu ordines eorum singulos venerari. Ad Paullum nunc tandem revertendum erit. Is igitur, quum hominibus scriberet ritum superstitiosum antea professis, Numinumque tripartitorum opinione olim imbutis (pars nimirum Philippensem, ad Christi disciplinam adductorum, maxima ex illo erant genere, sicuti ipsæ etiam, quas Christo in urbe ista lucratus Paullus fuerat,

pri-

f) Odyss. XI. v. 29. 34.

primitiæ) g) opportune admodum Philip-
penibus hanc suis ad animum revocavit A-
postolus. Erant fortassis in ecclesia illa sim-
pliciores aliqui, qui, notitia personæ Jesu ac-
curationi non instructi, haud ita, ut dignum
erat ejus magnitudine, de illo sentiebant, ad-
miscentes formæ , menti de eodem impres-
ſæ, aliquid ex Deorum factorum, quam olim
fibi conformaverant, specie. Hos igitur e-
docere Paulus voluit, distare inter Jesum &
Deos commentitios longe plurimum, ide-
amque Jesu convenire multo augustiorem.
Tantam enim illius esse excellentiam, ma-
gnitudinem, potentiam atque dignitatem, ut
præ illo abjectissimi deputandi sint omnium
ordinum Dii, nec posse proinde hos ulla ra-
tione illi æquiparari. Tali vero modo cum
Dis factis Jesum haud obscure comparans,
morem servat scriptorum V. T. quibus fo-
lenne est Israelis Deum cum gentium cetera-
rum Diis sic conserre, ut longissime his an-
teferant illum. Proferamus loca eorum ali-
qua, eaque ex Psalmis potissimum perita. Sic
Psalmo LXXXVI, 8. negatur, esse inter Deos
ullum Jehovæ similem : אין כמוך באלחים אֲרָנוּ וְאַיִן כְּמֻשֵׁיךְ Nullus est instar tui in-
ter Deos, o Domine, nec edit quisquam opera
tuis similia. Vbi, ut per אלחים cum Jo.
CLERICI Angelos potius, aut viros intel-
Pars VIII. M ligata

g) Vid. Act. XVI. v. 14. & 33.

ligamus principes, quam Deos, nihil est, quod urgeat. Neque enim Deum verum vanis cum idolis hac mente confert Psaltes, quasi ipse, esse illa aliquid, crederet, sed loquitur ex vulgari gentium opinione, magnam Diis suis potentiam maiestatemque tribuentium, hoc sere sensu : „Quod si etiam detur gentibus, pollere ipsarum Deos aliqua potentia ; erit tamen ea longe inferior, quam ineffabilis illa nostri Jehovæ.“ Ps. XCVI, 4. 5. גָדוֹל יְהוָה וּמַהְלֵל מְאֹר נֹרְאָה רֹאָה עַל כָּל אֲלֹהִים וְוֹהָה : כי כל אלה עמייס אלילים וויהה : *Magnus est Jehova summaque laude dignus, & timendus plus, quam Dii ceteri. Quia omnes Dii populorum sunt Dii nibili, sed Jehova cœlum fecit, is universi conditor est, tantum abest ut ex cœlo ipse sit prognatus, quod de Diis suis gentes quædam vicinæ credunt, e. c. Phœnices.* h) Cum primis vero digna observatu sunt verba Ps. XCVII, 7. quibus jubentur *Dii omnes Jehovam adorare* ; quippe Paullinis simillima : כל עברי פסל המתהלים באלילים והשתחו־ *Pudore afficiantur omnes sculptilium cultores, & qui Diis nibili gloriantur. Adorate eum, vos omnes Dii.* Et v. 9. כי אתה יהוה עליון על כל הארץ מאור. נעלית

b) Vide EUSEBIUM de *Præparat. Evang.* I. I. editante Clerico.

גָּלוּתְךָ עַל כָּל אֱלֹהִים
Tu Jehova altissimus es per totam terram, elatus es summopere,
אלֹהִינוּ בְשָׁמָּם supra omnes Deos. Ps. CXV, 3.
כָּל אֲשֶׁר חָפֵץ עֲשָׂה עַצְבָּוּתָם כְּסֶף וּזְהֻבָּה מְעַשָּׂה
רוּדֵי אָדָם. Deus noster in cœlo est, & quæcun-
que vult, facit. Illorum vero (populorum
extraneorum) idola argentum sunt & au-
rum, opus manuum humanarum, adeoque ni-
hil valent efficere. Ps. CXXXV, 5. אָנָּנוּ יְדַעֲתָנוּ כִּי גָּדוֹל יְהוָה וְאָנוּ מִכָּל אֱלֹהִים
Novi ego,
quod magnus sit Jehova, Dominusque noster
Deos omnes antecellat. Hinc אָלֹהִים חָאָלָה דְּמוּנָה
Deum Deorum, i. e. Deum omnium maxi-
mum, Jehovah appellat Ps. CXXXVI auctor
v. 2. Sufficere hæc possunt ad demonstran-
dam scriptorum divinorum consuetudinem,
qua Numen supremum cum Numinibus
comparant gentium, illudque his antepo-
nunt. Quod si tamen plura forte quis desi-
deret, eum ad Esaiæ ablegamus sermones
gravissimos, præsertim ad Cap. XL, 17. sqq.
XL, 6. 7. 21. 23. XLIV, 8. sqq. XLV, 5. 18. 20. 22.

§. XV.

Iustum jam morem loco hoc secutus Paul-
lus, clare docuit, adeo Diis gentium omni-
bus superiorem esse Jesum, ut, si illi existe-
rent, maxima eum culturi essent reveren-
tia, imo adoraturi. Hoc nimurum indicat
phrasι γένους καμπτειν, quaæ apud HOMERVM

M 2

etiam

etiam occurrit. Sic enim apud illum Agamemnon i):

Τάτω δὲ περίου ἄλλον ἀνασήσθαι Αχαιοῖ,
Ἐπειδεὶς τὸ εἶ, καὶ εἰ μόθη εἰς ἀκόρητος,
Φημὶ μὲν αὐτωτασίας ΓΟΝΥ ΚΑΜΨΕΙΝ, αἷς Φύ-
γησι

Δῆις ἐκ πολέμου, καὶ αὐτῆς δηϊοτήτος.

Huic autem (Hectori) pugnatorem alium
excitabunt Achivi:

Is quamvis intrepidus sit bellique insatia-
bilis;

Existimo tamen, eum libenter GENV FLE-
XVRVM, si effugerit

Sævo ex bello gravique pugna.

Scholia parva γόνου κάμψειν explicant ἀναπάν-
τεθαι, quieturum, vel συγκάμψειν τὰ γόνατα,
διὰ τὸ κενοπῶθαι ἐν τῷ διάνθεται, contracturum
genua, quippe fatigatum, dum eum inseque-
retur adversarius. Neutram expositionem
probo, sed hoc potius velle Homerum per-
suasum habeo: Pugnatorem illum flexo Deos
poplite esse veneraturum, gratiasque eis de
salute persoluturum, si salvus evaserit ex
tam periculo certamine. Itaque γόνου κάμ-
ψειν idem fere hic, quod γυναιθαι & γυνάζ-
θαι, quorum verborum altero HOMERVS
ufus

i) *Iliad. VII. v. 116.*

usus est alibi k), altero A P O L L O N I V S Rhodius l) pro *obsecrare, precari*. Aceundem in sensum in Paulli quoque verbis exponenda est formula, hoc modo : „*Vt per-
sonam Jesu summæ reverentiae cultu pro-
sequi, & adorare oporteat ipsos etiam Cœ-
lestes, Terrestres atque Inferos, seu omnis
generis Deos, quos orbis superstiosus ve-
neratur.*

OBSERVATIO III.

DE SIMSONE, PORTAS GA- ZÆ IN MONTEM QVENDAM DEPORTANTE.

Ad Judic. XVI, 3.

וישכב שמשון עד חצי הלילה ויקם בחצי
הלילה ויאחז ברכות שער העיר ובשתי
חmozoth ויסעט עם הבריח וישם על כתפיו
ירעלם אל ראש החר אשר על פניו חברון :

*Dormiit Simson ad noctem usque medium.
Tum vero surrexit, & apprehensas portæ ur-
bis valvas, simul cum postibus, evulsit, hume-
risque impositas in verticem deportavit mon-
tis, qui Hebronem respicit.*

M 3

CON-

k) *Odyss. XI, 29.* Recte ibi Scholia festi γενεῖσθαι interpretatur δέσμοι precari, aut γονυπετεῖν ad genua accidere.

l) *Argonaut. IV. v. 1668.*

CONSPECTVS.

Simsonem portas urbis Gazæ ad montem Hebronem vicinum, vel Gazâ saltem longius distantem, de portasse, veterum, e. c. Josephi, & recentiorum quorundam, nominatim Relandi atque Clerici, fuit opinio. §. I. Præsidium tamen ei nullum est in vocibus עַל פְנֵי. Vsurpantur quidem illæ de rebus locisque, quæ proxima sunt aliis, imo contigua, ut de monte Oliveti, Hierosolymorum; de pronao, Sacrarii; & de columnis Salomonis æneis, Aëdis sacræ respectu. §. II. Adhibentur vero etiam de locis, quæ ex adverso sunt, & opposita aliis, licet longius disjuncta; ut de monte Nebo, Hierichuntis; de Aroere urbe, Rabbæ Ammonitarum ratione habita. §. III. Nec satis congruit eadem sententia consilio Simsonis, quod in eo situm erat unice, ut & novum roboris sui iniustitati documentum Philistæis ostenderet, & metum sui in eisdem adaugeret. Quod obtineri poterat, etiam absque bajulatione portarum tam longa atque operosa, per milliarium German. circiter X, quo Gazâ Hebron aberat, intervallum. §. IV. Satius igitur est, montem intelligere Gazæ vicinum, eumque Hebronii oppositum, & præ ceteris altum, sic ut cerni inde posset Hebron, urbs in monte posita. Fuit fortasse mons Angaris, quem in Gazæ vicinia collocat Plinius. §. V. Itaque Vulgatus, atque hunc secutus Adrichomius, recte interpretati sunt montem, qui respicit Hebronem, propinquus autem est Gazæ. Nec male hodiendum mons ille haud procul ab urbe Gaza ostenditur. Thevenoti & Dapperi ea de re testimonia. §. VI.

§. I. RO-

§. I.

Robur Simsonis inusitatum imminutum non ibimus, sed tantum, non inutiliter illud collocatum ab heroe fuisse, ostendere conabimur. Collocasset enim profecto, si quas, simul cum postibus & vecte, humeris imposuerat valvas, Hebronem usque barijulasset, urbem Gaza intervallo haud exiguo disjunctoram, vel ad montem certe, Hebroniam quam Gazæ viciniorem. Fecisse autem hoc Simsonem, cum veteres, tum recentiores quidam, iisque optimæ alioqui nota scriptores, existimarunt. Ex antiquis solum nunc in medium producemus JOSEPHVM, qui Σαμψὼν δὲ, inquit, a) ἡ γὰρ λανθάνεσσιν ἀυτὸν ταῦτα μηχανησάμενοι, περὶ μετόπων ἥδη τὴν νύκταν ἀναστὰς ἐνράσσει ταῖς πυλαῖς, αὐταῖς τε Φλιαῖς καὶ μοχλοῖς, ὅσῃ τε ἄλλῃ περὶ ἀνταῖς ἦν ξύλωσις, ἀράμενος κατώμαδον, εἰς τὸ ὑπέρ Χεβρῶνος ὄζος Φέρων κατατίθησι. At Samson, (non enim ignorabat quæ parabantur) cum impetu irruit in portas, ipsasque, una cum postibus & repagulis, & reliquo apparatu ligneo, humeris sublatas in jugum montis, qui Chebronii imminet, vectas deposituit. Nec aliter HADRIANVS sensit RELANDVS, si recte mentem ejus capio. Scribit enim: b) „Præter

M 4

„hos

a) *Antiqu. Jud. I. V. c. 8. §. 10.*

b) *In Palæstina I. I. c. 53. p. 346.*

„hos montes, alii in sacris litteris & scriptis
 „profanis memorantur, uti mons Ephron
 „- - - & nomine singulari haud noti, qua-
 „lis ille, qui in conspectu Chebronis est,
 „quo Samson portas Gazæ detulit,. Idem
 loco alio : c) „Ego existimo, non declinas-
 „se Chebronem in orientem a meridiano
 „Hierosolymorum, sed ad occidentem po-
 „tius, quia via per eam Gazam tendit, & por-
 „tae Gazæ a Samson delatae sunt ad mon-
 „tem, qui spectabat Chebronem,. JO. CLE-
 R I C V S, licet Hebronem usque cum valvis
 ivisse Simsonem non credit; tamen longius
 cum illis Gaza recessisse opinatur. Sic enim
 inter cetera ad locum illum commentatus
 est : „Igitur cum Samson Chebronem us-
 „que non iverit, satis erit, si quinque hora-
 „rias leucas, aut circiter, bajulasse eum Ga-
 „zæas valvas dicamus, donec in tutum mon-
 „tem pervenisset.

§. II.

Jam huic opinioni equidem haud video
 aliunde aliquid comparari posse præsidii, ni-
 si ex vocibus פְנֵי : in quibus cardo rei
 omnibus vertitur. Non nego, adhiberi eas
 sapenumero de locis, in conspectu aliorum
 proximo sitis, sic ut intervallum intercedat
 exiguum, imo & de contiguis. Ita v. c. mons
 oli-

c) Ibid. l. III. voce *Chebron* p. 710.

oliveti apud Zachariam d) situs dicitur עַל פְּנֵי יְרוּשָׁלָם, qui vix quinque, aut sex stadiorum intervallo, ortum versus, Hierosolymis aberat : ὡς τῆς πόλεως ἀντιμένος οὐδὲνον ἀπέχει σταδία πέντε, qui e regione urbis situs, inde abest quinque stadia, ait JOSEPHVS, e) suo ἀντικρυς idem plane dicens, quod Zacharias vocibus עַל פְּנֵי. Alibi quidem Josephus distantiam illam sex stadiorum facit ; verum hæc differentia est exigua, inde fortasse repetenda, quod uno in loco a mœnibus urbis ad radicem montis, urbem versus maxime procurrente ; in alio vero vel ad ipsum montis verticem, vel ad acclivitatem medianam, vel denique ad partem radicis remotorem, spatium metitur Josephus. Vtracunque vero fuerit distantia, sive quinque, sive sex stadiorum, vicinus sane mons urbi fuit, ita ut ex illo *prospectari* posset commode in hanc, ac ad templum cumprimis, in parte urbis orientali situm ; unde & Marcus f) illum κατέβαντι τῷ ιερῷ, e regione templi, dicit positum. Hinc etiam sacerdos, vaccam rufam eodem in monte jugulans, dum sanguinem ejus spargeret, portam Aëdis sacræ, supra murum templi extimum, quo atrium

M 5

cin-

d) Zach. XIV, 4.

e) *Antiqu. Jud.* I. XX. c. 6. p. 972.

f) Cap. XIII. v. 3.

cingebatur gentium, prospiciens, in oculis
 כל הכהלים
 habere, uti debebat, poterat. שחוּר שֵׁם וְהוּ גִּבְּרוֹת חָזֶק מִכּוֹל וַמְזֻורָּה
 שהכחן השורף את הפרה עומר בראש חור
 והמשחא ומתקון ורואה בפתחו של היכל
 בשעת הזית הום *Muri atrii gentium,*
 ajunt Talmudici, g) *omnes alti erant, praeter orientalem.* Oportebat enim sacerdotem,
qui vaccam combureret rufam, dum in monte flaret olivifero, oculis intentis prospicere,
ac contueri portam Aedis sacræ, dum spargeret sanguinem. Nec aliis sane mons est,
 in cuius vertice Salomo rex, in gratiam
 uxorum, quas duxerat, alienigenarum, locum excelsum (במה), seu altare, בָּמָה, stru-
 xit, Cemoso Moabitarum Deo sacrum. V-
 titurque historiæ Regum scriptor, h) situm
 indicaturus, eadem plane formula אשר על
 ירושלם, qui e regione Hierosolymorum
 est. Porro הַאוֹלָם, porticus, seu pronaon tem-
 pli situm dicitur i), עלי פנוי היכל הבית (i), ante

g) In *Middoth* cap. II. §. IV.h) 1. Reg. XI, 7. Cf. 2 Reg. XXIII, 13. ubi idem mons,
 quem Judæi vulgo דָּר המשחָה, montem dice-
 bant *unctionis*, levi vocis inflexione vocatur
 חָרָה המשחָה, mons corrumpentis, vel *corru-
 ptionis*, propter usum illius pravum, cui dicave-
 rat Salomo.

i) 1. Reg. VI, 3.

te *Ædem sacram*, quum huic esset ab ortu contiguum. Et columnas Salomonis æneas positas fuisse ait scriptor Paralipom. k) **עַל פְנֵי הַחִיכָל**, *ante templum*, quæ huic stabant proximæ.

§. III.

Observari tamen potest usus vocum **עַל** etiam aliis, is nimirum, quo de locis usurpantur, quæ e regione quidem sunt aliorum, iisque opposita, sed longius tamen ab illis disjuncta. Ita v. c. de monte *Nebo* dicitur, l) quod sit in Moabitide, & quidem **עַל פְנֵי יְרֹחֹן**, *e regione, ex adverso Hierichuntis*, a qua tamen ille quinque ad minimum milliariis Germ. in ortum aberat. Nam *Hierichus a Jordane* quinque, secundum Eusebium atque Hieronymum, secundum Josephum vero septem mill. Ital. cum dimidio distabat; *Nebo autem ab eodem fluvio, orientem versus, mill. Ital. quatuordecim*: positus scilicet in sexto milliario ab urbe *Esbunte*, ad occasum, quæ urbs a Jordane XX. mill. Ital. remota rerat. Sic & *Aroer*, Gaditarum trans Jordanem urbs, ad ripam torrentis *Arnon*, sita dicitur m) **עַל פְנֵי רְבָח**, *ex adverso, vel in conspectu Rabbæ* (*Ammonitarum hæc erat metropolis, Philadelphia nomine postea appellata*) licet spatium

k) 2. Paral. III, 17.

l) Deut. XXXII, 48.

m) Jof. XIII, 25.

tium intercederet haud exiguum. Scilicet in montis cuiusdam vertice exædificata fuerat Aroer, teste Eusebio. Poterat igitur ex illa Rabbam facile prospici, eademque vicissim a Rabbatæis spectari.

§. IV.

Itaque formula **הַר אֲשֶׁר עַל פְנֵי חֶבְרוֹן** minime prohibet, quo minus montem intelligamus, procul ab Hebronis urbe situm, vicinumque Gazæ. Quod ipsum & propositum Simsonis videtur flagitare. Absportavit enim is portas eo haud dubie consilio, ut & novum roboris sui singularis documentum Philistæis ostenderet, & metum sui in illis adaugeret. Hujus autem rei caussa bajulatione adeo longa atque operosa minime erat opus. Nam obtineri facile poterat, si in montem quendam vicinum valvas deportaret Simson, easque, postibus terræ infixis, erigeret, (quod & fecisse illum non est incredibile) quo in oculos statim incidenterent Gazæis, per portam urbis, valvis nudam, prospectantibus. Quod spectaculum non poterat non summam illis parere admirationem, imo stuporem. Cui, quæso, usui vires ille onere Hebronem usque gestando profudisset? Consideremus enim, obsecro, quanta fuerit distantia. Sumimus hic, quod & rationibus geographicis facile demonstrari

strari potest, inter Gazam & Hebronem non brevius iter fuisse, quam inter Joppen & Hierosolyma, vel Bethlehemam, quæ Hierosolymis non longe remota, & sub eodem fere, quemadmodum & Hebron, erat meridiano. Jam Bethlehemam HIERONYMVS, loci incola, mill. a Joppe abesse ait n) XLVI. Pudet, inquit, dicere latitudinem terræ re promissionis, ne ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur. Ab Joppe usque ad viculum nostrum Bethlehem quadraginta sex millia sunt: cui succedit valissima solitudo, plena ferocium barbarorum: Consequens proinde est, Gazam, quæ, æque ac Joppe, ad mare erat mediterraneum, Hebrone X. circiter, vel XI. mill. Germ. distitisse. Quam viam quis emensum credit Simsonem, bajulando inutiliter opus tanti ponderis? Aut an tutum id fuisset? Quid enim, si persecuti cum armis essent Gazæ? Nonne & assequi facile potuissent virum, ob onus lentius procedentem, & op primere viribus exhaustum?

§. V.

Hæc igitur cogitans facile mihi persuadeo, Simsonem valvas Gazæas in montem detulisse Gazæ ab ortu propinquum; eum vero situm dici כְּרֵן, vel quod urbi huic nobili (quam inter atque Gazam urbs, quæ ali-

n) In epist. ad Dardanum.

alicuius momenti esset, nulla occurrebat) e diametro oppositus, vel quod ejus simul esset altitudinis, ut cerni ex eo, aëre sereno, posset Hebron, ipsa quoque in monte positæ. o) Divinare si liceat in re incerta, montem fuisse putem illum, quem *Angarim* appellat PLINIVS, Gazæque & Anthedoni vicinum facit. *Gaza*, inquit, p) & intus *Anthedon*: *mons Angaris*. Fuit is procul dubio præ ceteris illius tractus montibus, ob magnitudinem altitudinemque, clarus, ut dignum propterea judicarit Plinius, cuius in locorum memorabilium recensu mentionem ficeret.

§. VI.

Itaque omnium optime, meo iudicio, interpres Vulgatus verba: *וַיָּשֶׂם עֲרָבָה כְּתָפֵיו וַיָּעֶל מֶלֶךְ אֶל רֹאשׁ הַדָּר אֲשֶׁר עַל פְּנֵי חֶבְרוֹן* reddidit: *Impositasque humeris suis, portæ fores, portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron*. Recte etiam ADRICHOMIVS, Vulgatum fecutus, scripsit: q) „Gazæ ambas portæ fores, cum postibus & sera, Samson media nocte abstulit, & humeris impo- sitas detulit in montem vicinum, qui re-

„spic-

o) Vid. Jof. XX, 7. & XXI, II. Cf. Luc. I, 39. ubi per τὴν ὁρεῶν τράκτην designatur montanus, in quo Hebron, urbs Judææ.

p) Hist. nat. I. V. c. 13.

q) In *Theatro terræ sanctæ* p. 133.

„spicit Hebron. „ Nec male Christiani, istic
incolentes, montem Simfonis prope Gazam,
ad ortum quidem, hodie ostendunt, sicuti
ex Thevenoti & Dapperi discitur testimonii-
is. THEVENOTVS : r) „Gaza éroit une des
„cinq Satrapies des Philistins, a qui Samson
„fit tant de mal, & même il emporta un jour
„sur ses épaules les portes de cette ville, & les
„laissa sur une petite montagne, éloignée
„d'une mille de cette ville. „ DAPPERVS :
s) „In einem Thale gegen Morgen der
„Stadt (Gaza) siehet man viele zerstreute
„Gebäude. Gegen über dem Schlosse stehet
„ein erhabener Berg, der für denjenigen ge-
„halten wird, wohin Simson auf seinen Schul-
„tern die Thore der Stadt Gaza truge. „
Equidem notitiam montis traditionis bene-
ficio, quæ in tanta rei vetustate non potest
non incerta esse, conservatam fuisse non cre-
do : fieri tamen potest, ut qui illam se pos-
sidere contendunt, non aberrent a monte
vero, præsertim si non nisi mons unus Ga-
zæ ab ortu prope objacet.

OBSERVATIO IV.

DE BACVLO FERREO, QVO
GENTES CONFRINGENDÆ

Ad Ps. II, 9.

תְּרֻעָם

r) In *Voyage de Levant* P. I. liv. II. c. 26.s) In *Palaestyna* p. 158.

הרעם בשבט ברזל כלוי יוצר תנפצם

*Confringes eos baculo ferreo, tanquam vas
figulinum disjicies eos.*

CONSPECTVS.

Vox שבט, tria significans, rectius hic per virgam, baculum, vel clavam exponitur, quam per sceptrum. Quod primum patet ex materia. Sceptra enim ex ligno quidem, ebore, auro & argento, sed non ex ferro fieri solebant. §. I. Patet vero etiam ex usu, quum sceptra ad percutiendos lethaliter hostes non solerent adhiberi, sed rebus servirent plane aliis; videlicet imperantibus a turba distinguendis, cum in concionem prodirent, & iurando praestando. Itaque שבט idem hic vallet, quod in loco quodam Habacuci. §. II. Petita autem est formula ab Heroum antiquorum more, qui clavis non lignicis solum, verum etiam ferreis, pro armis utebantur. Exemplo sunt Hercules, Theseus, Areithous, Ereuthalion; & ex historia sacra Samgar, Benaja, ac Joabus. §. III.

§. I.

VOcem שבט tria denotare, *tribum, virgam seu baculum, & ob figuræ similitudinem, quod sceptra olim scipiones essent oblongi, sceptrum*, norunt omnes, qui vel primoribus labris Hebraica attigerunt. Prima significationi locus hic esse nullus potest: nec diu dubitare convenit, utra ex duabus reliquis sit admittenda. Nam sceptrum intel-

telligi, quod in versionem suam recepit Lutherus, cum materia vetat, tum usus, qui τῷ
τῷ a psalte tribuitur. Ligneum quidem, e-
burnea, argentea atque aurea sceptra cele-
brari ab auctoribus memini, sed non ferrea.
Sic sceptrum illud Jovis sanctissime habitum,
quod Vulcanus fabricaverat, & ad Agamem-
nona tandem delatum est, *cupressinum* erat,
variis tamen metallis exornatum, testantibus
LAERTIO, a) ex Hermippo, & JAMBŁI-
CHO. b) Ligneum quoque Achillis sceptrum
erat, aureisque clavis distinctum: unde ille
apud Homerum sic loquitur: c)

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν ἐποτε Φύλλα καὶ
στέγας

Φύσει, ἐπειδὴ πρῶται τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδὲ ἀναθηλήσει περὶ γάρ ῥά εἰ χαλιὸς ἔλεψε
Φύλλα τε ναὶ φλοιόν.

Certe per hoc sceptrum, quod quidem nun-
quam folia & ramos

Producet, ex quo semel stirpem suam in
montibus reliquit,

Neque revirescet: ferrum enim undique
illud delibravit,

Foliaque & corticem.

Et post versus nonnullos:

Pars VIII.

N

Ως

- a) In *Pythagora* p. m. 574.
- b) In *vita Pythag.* c. 28.
- c) *Iliad.* I, v. 235. & 246.

Ως Φάτο πηλέιδης ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γάια
Χευσέιος ἥλοισι πεταξμένον.

*Sic locutus est Achilles, & sceptrum projectit
in terram*

Aureis clavis distinctum.

Quem lqcum imitatus VIRGILIVS, d) Latinum, Laurentum Regem, Aeneæ sic jurantem inducit :

Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)

*Nunquam fronde levi fundet virgulta, nec
umbras,*

*Cum semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas & brachia
ferro :*

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro

Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

HESIODVS etiam datum sibi a Musis ait
sceptrum ex lauro : e)

Καὶ μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἔξι Θηλέας ὄχον.

Et mihi sceptrum dederunt, lauri perviridis ramum.

Eburneum sceptrum Romæ triumphibus
gestare mos fuit. Quocirca inter orna-
menta triumphalia enumerat JVVENALIS : f)

Da

d) AEn. I. XII. v. 205.

e) Theogon. v. 30.

f) Sat. X. v. 43.

*Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit
eburno.*

Vsus tali sceptro pridem fuerat Tarquinius Priscus Rex, donatus illo, inter cetera insignia regia, ab Etruscis. g) Antiqua etiam Romanis consuetudo fuit mittendi Regibus amicis sociisque cum insignibus aliis, sceptrum quoque eburneum, quando eis potestatem confirmabant regiam. TACITVS : h) *Cognitis debinc Ptolemæi per id bellum studijs, repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum togam pietam, antiqua patrum munera daret, regemque & socium atque amicum appellaret. Porro argentea sceptra cum in aliis regionibus, tum speciatim in Sicilia gestarunt reges, observante ALEX. ab ALEXANDRO.* i) *De aureis vero sceptris, tum ex Homero constat, tum ex ipsis sacris litteris. Minoi enim, Inferorum judici, sceptrum aureum diserte tribuit poeta.* k)

*Χεύσεον σκηπτρὸν ἔχοντα, Θεμισέουντα νεκύεσσιν
Aureum sceptrum gestantem, jusque dicentem mortuis.*

Chryses etiam, Apollinis sacerdos, inter munera, quæ filiæ redimendæ caussa daturus

N 2

erat

-
- g) V. DIONYS. *Halicarn. Antiqu. Rom.* l. III. c. 84. 85.
h) *Annal.* l. IV. c. 26. Cf. omnino Dionys. *Halic.* l. c.
i) *Gen. dierum* l. I. c. 28, f. m. 47.
k) *Odyss.* XI, v. 567.

erat Græcis, sceptrum affert aureum. l) Et Tiresias vates apud Inferos χρύσεον σκῆπτρον ἔχων dicitur, *aureum tenens sceptrum m).* Et cui, sacræ historiæ non experti, sceptrum ignotum est aureum Ahasveri, seu Darii Hystraspidæ, Persarum Regis. n) Sceptri autem ferrei frustra, ut adhuc mihi persuasum est, in Icriptoribus antiquis requiritur memoria.

§. II.

Porro usus etiam, ad quem טבש adhibitum iri dicit psaltes, sceptro minus convenit. Neque enim uti hoc solebant Veteres, ad percutiendum lethaliter confringendumque, sed ad res plane alias. Primum enim dignitatis signum erat, quo imperantes distinguerentur a turba reliqua. Gestabant vero illud, quotiescunque vel solennitatis alicujus sacræ, vel imperii dandi, sive edicti alicujus promulgandi, vel denique juris dicundi causa in publicum prodirent. Hinc Nestor, sacrificium Palladi solenne facturus, confidet ante fores in panegyri, σκῆπτρον ἔχων, *sceptrum habens.* o) Et Vlysses Græcos discessuros, sumto Agamemnonis sceptro, quippe regis personam sustinens, jubet in castris

per-

l) *Iliad* I, v. 15. 374.m) *Odyss.* XI, v. 91.n) *Esth.* IV, II. V, 2. VIII, 4.o) *Odyss.* III, v. 412.

permanere. p) Ex quo more factum, ut τὰ
ἀπὸ σκῆπτρος Θεμιστεύομενα edicta denotarint
regia. Vtus certe eo sensu formula est PHI-
LOSTRATVS, q) edictis talibus sententias
comparans Apollonii. Ad usum in jure di-
cendo versus Homeri de Minoë, § præced.
allatus, spectat, spectant etiam isti VIRGI-
LII : r)

*Hoc Priami gestamen erat, cum jura vo-
catis*

*More daret populis : sceptrumque, sacer-
que tiaras cet.*

Eademque de caussa sceptrum PINDARVS,
tanquam justitiae insigne, Θεμιστίον justum vo-
cat. Hieronis enim, Sicilia regis, Olym-
pionica, laudes commemorans, inter cetera
ait : s)

Θεμιστίον ὁς ἀμφέπει

Σκῆπτρον ἐν πολυμάλῳ

Σικελίᾳ

Justum qui administrat

Sceptrum, in focunda

Sicilia.

Solet etiam propterea HOMERVUS σκῆπτρόν
τ' ἡδὲ Θέμιστας, sceptrum & jura conjungere. t)

N 3

Dein-

p) *Iliad.* II, v. 186. sqq.

q) *In vita Apollonii* l. c. XVII.

r) *Aen.* VII. v. 246.

s) *Olympion.* Oda I. Antistr. I. v. i

t) E. c. *Iliad.* II, v. 206.

Deinde & jurijurando inserviebat sceptrum, pro veritatis symbolo, dum in altum attolleretur. Hinc Dolon Trojanus, naves Græcorum exploraturus, Hectori ait : u)

Αλλ' ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάχεο, καὶ μοι ὁμοσσον.

Sed age, mibi sceptrum attolle, & mihi jura.
 Cui postulato & satisfacit Hector, Is enim ἐν χερσὶ σκῆπτρον βάλε, καὶ οἱ ὁμοσσε. manibus sceptrum prebendit, eique juravit. x) ARISTOTELES: y) ὁ δὲ ὅρος ἦν τὰ σκῆπτρα ἐπανάτασις. Erat regibus antiquis jusjurandum sceptri elevatio. Exempla per sceptrum jurantium, Achillis & Latini, supra jam habuimus. Romanos etiam per sceptrum, e Jovis Feretrii templo sumtum, jurare consueisse ROSINVS observat. z) Non plane quidem erat insolens, ut si quis forte ex plebe immodestius se se gereret, eum reges sceptro percuterent. Sic Vlysses a)

Ὥν δὲ δήμῳ τὸ ἄνδεα ἔδοι, βοόωντά τοι ἐφέυρος,
 τὸν σκῆπτρων ἐλάσσασιν, ὥμοκλήσασιν τε μύθῳ.

Quemcumque ex plebe virum vidisset, vociferantemque offendisset,

Hunc

u) Iliad. X, v. 321.

x) Ibid. v. 328.

y) Polit. I. III. c. 14.

z) Antiqu. Rom. I. II. c. 5. p. 234.

a) Il. II. v. 198.

*Hunc sceptro pulsabat, increpitabatque
verbis.*

Sed leviores istæ fuere plagæ, ad mortem inferendam, aut ad membra frangenda minime comparatae. Adversari quidem nobis videri poterat PINDARVS, qui Lycymnum, Electryonis ex Midea, Phrygia semina, filium nothum, proavunculum Tlepolemi, qui Herculis erat filius, ab hoc interfectum ait b) σκάπτω ἐλάιας, sceptro oleæ.

Καὶ γὰρ Αλκυμίνας παστύνη-
τον νόθον, σκάπτω Θένων
σκλαφᾶς ἐλάιας, ἔνταν ἐν Τι-
ρυνθὶ Λικύμνιον, ἐλ-
Θόντ̄ ἐν Θαλάμων Μιδέας,
τὰς δὲ ποτε χθονὸς ὄμισηρε χολωθεῖς.

Etenim Alcmenæ fra-
trem nothum, sceptro percutiens
duræ oleæ, occidit in Ti-
rynthe Lycymnum, veni-
entem e thalamis Mideæ,
hujus olim terræ conditor iratus (Tle-
polemus)

Verum σκάπτον hic non sceptrum est, regiae majestatis insigne, sed baculus, quo ad innitendum & ad feriendum uti solent homines. Nam hunc quoque significare vox σκῆπτρον, vel ex Dorica forma σκῆπτρον, σκάπτον, po-

N 4

test,

b) *Olympion.* Oda VII, antistr. II, v. 3.

test, ut docet HESYCHIUS: Σκῆπτρον κυρίως μὲν πᾶσα ἡδονή, ἀπὸ τοῦ σκηπτρεός ἐπ' αὐτῇ, ὅτι εἰν ἐπεξένδεσθ. *Vocabulum* σκῆπτρον proprio omnem notat baculum, ducentumque est ex verbo σκηπτρεός, c) quod est inniti. Confirmat expositionem nostram egregie APOLODORVS, diserte βακτηρίαν, baculum, vocans, quod σκῆπτρον dixerat Pindarus. d) τληπόλεμον δύν, inquit, κτένας δύν ἐκὼν Δικύμιον (τῇ βακτηρίᾳ γὰς αὐτῷ θραπέουνται πλήσσων ἥμαρτε) πεὸν ἐξελθεῖν αὐτὸν ἐκ Πελοποννήσου. Telepolemus Lycymnium non sponte occidit; quippe quod administrum suum quendam baculo percussurus aberravit, idque ante quam e Peloponneso abscederet. Itaque armorum lethiferorum, quibus hostium peterentur capita, usum sceptra apud Veteres præbuuisse, ex isto Pindari loco ostendi minime potest; nec demonstrari facile poterit aliunde. Et quum nec Hebraeorum in historia vestigium ejus nōris ullum appareat, præstat sane שבט de baculo accipi, sive clava, quam de sceptro, ut idem plane vox valeat, quod in loco מטה simili: e) נקברת במתין ראש פריזו יסעור להרפיצני Perforabas baculis ejus caput pagorum ejus, qui procellæ in modum irruerant,

ut

- c) Vfus eo verbo HOMERVIS est Odyss. XVII. v. 196.
 d) Biblioth. I. II. c. 8. §. 2. p. 141.
 e) Habac. III. 14.

ut me disjicerent. Mens igitur Psaltæ hæc est: „Regem a Deo constitutum gentes sibi „infensas inimicasque baculo ferreo sic per- „cussurum, ut rumpantur capita dissiliant- „que, vasorum instar sigulinorum. q. e. pe- „nitus eos esse prostraturum.

§. III.

Baculo autem ferreo Regem illum dum instruit Psaltes, respicere mihi videtur ad momen-
tum illum antiquum, quo Heroes, armorum
loco, clavas gestabant, easque non ligneas
tantum, sed etiam ferreas. Herculis enim
cui ignota est clava ingens, qua ille, præter
alios, Eurythionem occidit bubulum, ca-
ni, qui in Herculem irruerat, suppetias at-
que opeū ferentem; f) & propter quam *clavigeri* ab Ovidio mactatus est cognomine? g)
Clava etiam, Peripheta latroni erepta, pro
armis usus est Theseus, rex Athenarum post
Cecropem decimus, Heroum Græcorum
non postremus. PLUTARCHVS: h) Καὶ
πρῶτον μὲν ἐν τῇ Επιδαυρίᾳ Περιφέτην, ὅπλῳ χρώ-
μενον κορύνῃ καὶ διὰ τότο Κορυνήτην ἐπικαλέσμενον,
ἀπτόμενον αὐτῷ καὶ κωλύοντα προάγειν, συμβα-
λὼν ἀπέκτεινεν· οὐδεὶς δὲ τῇ κορύνῃ, λαβὼν ὅπλον

N 5

ἐποιή-

f) APOLLOD. *Biblioth.* I. I. c. IV. §. 10. p. 115.g) *Metamorph.* I. XV. v. 284. *Faſt.* I. I. v. 544.h) In *Theseo* p. 4.

ἐποίησατο, καὶ διετέλει χρώμεν^Θ, ὡσπερ ὁ Ἡρακλῆς τῷ δέρματι τῷ λέυτ^Θ. ἐκεῖνῳ μὲν δὲν ἐπίδειξις ἦν Φορέμενον, ἀλλὰ τῷ μέγεθ^Θ Θηρίᾳ κατήστησεν^γ τῷ δὲ τὴν κορύνην ἐπεδέκυνεν ἡττημένην μὲν ὑπ' αὐτῷ, μετ' αὐτῷ δὲ αἴτιον τὸ στόμα. Primum in finibus Epidauri Peripheten, qui pro armis utebatur clava, ideoque Corynetes, sive claviger, appellabatur, apprehendentem ipsum & vetantem progredi, congressus cum eo, interfecit (Theseus). Oblectatus clava, cepit eam pro armis: qua deinceps est usus, ut pelle leonis Hercules. Atque ut huic illud tegumen, quam immanem belluam superasset, argumentum erat: ita Theseus clavam ab se ostentabat viictam, secum invictam esse. DIODORVS SICULUS: i) Περῶτον μὲν δὲν ἀνεῖλε τὸν ὄνομαζόμενον κορυνήτην, χρώμενον τῇ προσαγορευομένῃ κορύνῃ (ἥτις ἦν αὐτῷ ὅπλον ἀμυντήσιον) καὶ τὰς παριόντας ἀποκτένοντα. Primum igitur Theseus Coryneten (quem a clava sic vocant) trucidat. Clavam hic pro armis, quibus se defenderet gestans, viatoribus necem inferebat. Clava autem ferrea fuit: quod licet neque Plutarchus indicet neque Diodorus; indicat tamen APOLLODORVS. k) Nam περῶτον μὲν γάρ, inquit, περιφήτην τὸν Ἡφάσιον καὶ Αγλαίας,

i) Biblioth. histor. l. IV. c. 61. p. 152.

k) Biblioth. l. III. c. XV. §. I.

ιλέιας, ὃς απὸ τῆς κορύνης, ἦν ἐφόρει, Κορυνήτης ἐπεκαλεῖτο ἔκτεινε ἐν Εσιδάνεω. πόδας δὲ αἰδενεῖς ἔχων ὅτι θρόνος, ἐφόρει κορύνην σιδηρᾶν, δι' ἣς τὰς πα-
γιόντας ἔκτεινε. τάυτην ἀφελόμενον θησεὺς ἐφόρει.
Primum quidem Peripheten, Vulcani & An-
tīclae filium, qui, quod clavam gestaret, Co-
ryneta dicebatur, ad Epidaurum occidit: qui
cum imbecillis pedibus esset, ferrea clava mu-
nitus, viatores interficiebat: quam ex illo
præreptam Theseus ipse ferre consuevit. E-
adem fuit Areithoi regis, & post hunc Ereuthalionis armatura, de quo HOMERVS: l)

τοῖσι δὲ Ερευθαλίων πρόμονοι ἵσατο ἴσοθεος Φώι,
Τέυχες ἔχων ἄμοιστην Αρηΐθεοιο ἄνακτον,
Δίας Αρηΐθός, τὸν ἐπίκλητον κορυνήτην
Ανδρες κύλησκον, καλλίζωνοι τε γυναικες,
Οὐνεκὲν ἀρέτης τοῖσι μαχέσκετο, δρεί τε μακρῷ.
Αλλὰ σιδηρεὶν κορύνη ρήγυνυσκε Φάλαγγας.
Τὸν Δικόοργον ἔπειθε δόλῳ, ὃτι κράτει γε
Στεινωπῶν ἐν ὁδῷ, ὃς ἀρέτης κορύνη ὡς ὄλεθρον
κραιπτει σιδηρείν.

Inter hos autem Ereuthalion primarius fla-
bat, divinus vir,
Arma gestans humeris Areithoi regis:
Nobilis Areithoi, quem cognomento Clavi-
gerum

Viri

I) Iliad. VII, v. 136.

Viri appellabant, pulcreque cinctæ mulieres:

Quoniam non arcubus pugnabat, hastaque longa,

Sed ferrea clava perrumppebat agmina.

Hunc Lycurgus interfecit dolo, non vi,

Angusta in via, ubi clava non ei mortem Arcebat ferrea.

Sed quid exempla Heroum clavigerorum apud exterios conquirimus, quum non defint in historia sacra? Quonam enim armorum genere Philistæos Samgar, non solus quidem, sed adjutus ab aliis, opera tumultuaria collectis, concidit sexcentos? m) *Stimulus* fuit *bovis*, מלחם הבקר, h.e. baculus, sive lignum clavæ non absimile, nisi quod ferro præfixum esset acuto: Quanquam contendere cum illis nolo, qui cum S E B A S T. S C H M I D'I O baculum intelligunt ex ferro conformatum solidum. Porro Benajæ, filio Jojadæ, quod fuit telum, cum in certamen descendenteret contra virum Ægyptium, proceritate spectabilem, hastaque prægrandi instructum? n) Fuit שבט, *baculus*, sive *clava*, vel lignea, vel ferrea. Nec abhorruit ab usu שבטים Joabus, dux fortissimus. Transfixit enim tribus שבטים corpus Absalom, e quercu pen-

m) Jud. III, v. 31.

n) 2. Sam. XXIII. 21. Cf. 1. Chron. XI, 23.

pendentis: o) Vbi perinde est, five ligneos intelligas baculos, five ferreos, modo sint cuspidati.

OBSERVATIO V.

DE VOCE בְּמַתִּיר

Esaiæ LIII, 9.

וַיֹּהֶן אֶת רְשָׁעֵי קָרְבָּנוֹ וְאֶת עֲשֵׂר בְּמַתִּיר

Dedit cum improbis sepulcrum ejus, & cum
divite monumentum ejus.

CONSPECTVS.

In verbis his mirifice sese torquent interpretes. Causæ difficultatis duæ §. I. Voce בְּמַתִּיר significatur aliquid ad sepulcrum pertinens, videlicet monumentum sepulcrale. Est enim ex בְּמַתִּיר, quod nomine ista apud Ezechielem occurrit. Cadavera Regum Judæ plerorumque Zione, adeoque loco, qui templo admodum vicinus erat, sepulta. Conditum vero ea in posterum illic ire negat Ezechiel §. II. Sepulcra Hebræi cippis, & si hominum essent nobiliorum, monumentis insignire solebant magnificis, quæ apte dici poterant. Sic Jacobus Rabeæ suæ, Bethelis incolæ prophetae, adversus altare Betheliticum vaticinato, Simon Hasmonæus parentibus fratribusque suis, Herodes Davidi monumenta posuerunt. Pharisei etiam sepulcris prophetarum ædificandis ornandisque curam adhibuerunt §. III. Recentioris etatis Judæi morem illum constanter servarunt, servantque etiamnum hodie

o) 2. Sam. XVIII, 14.

hodie. צוֹרֵן וְנִפְשָׁת, quibus vocibus cippi atque monumenta appellantur, quid? §. IV. Impiorum & divitis vocabula unum idemque hic denotant hominum genus. Divites enim pietatem virtutesque reliquas ut plurimum negligunt. Verborum paraphrasis §. V. Occurritur duabus objectionibus, quae ex multitudinis numero in voce במתיו ו ex punctuationis ratione, formari poterant. Impium non Josephum quidem Arimathæensem, sed genus opulentorum universum a Propheta nuncupari, dici potest. §. VI.

§. I.

CVm illo ipso die, qui memoriæ mortis Jesu Christi sacer est, caput vaticiniorum Esaiæ LIII, quod ecclesia Christiana, exemplum Doctorum quorundam gentis Judaicæ veterum a) secuta, de Messia solet exponere, paullo attentius legerem ac meditarer: animadvertebam inter cetera, valdopere hæsitare interpretes in verbis modo propositis, & quomodo se expediant, vix reperire. Sumto in manum commentario recentissimo Jo. CLERICI, vidi, hunc etiam mirifice se torquere, ut sensum eliciat rei, de qua agitur, convenientem. Modo enim suspicatur, voces במתיו קברו & sedes inter

- a) E. c. Paraphrastæ Chaldæi, & auctoris libri *Sohar* in שמות col. 379. & 380. edit. Lublin. a. 1523. V. *Annales Acad. Juliae*, semestri secundo p. 127. sq. ubi locum ex Sohar, eospectantein, protulimus.

ter se mutasse librariorum incuria, & scripsisse Prophetam : וְהִנֵּה אַתָּה רְשֻׁעִים בְּמַתִּיר וְאַתָּה עֹשֵׂר בְּקַבְרֶךָ *Et dedit (eum) cum sōntibus in morte ejus, & cum divite sepulcro ejus.* Quod ex ipsa historia Christi interpretatur, qui cum morte damnatus fuisset, & in crucem sublatus inter nocentes, inter quos etiam est mortuus, tamen sepulcro viri divitis, Josephi Arimathæensis, illatus est. Modo vero, re magis expensa, minor ipsi videtur mutatio, si ita interpretetur : וְקַבְרֶךָ אַתָּה עֹשֵׂר, quasi esset transposita tantum copula וְ, & legeretur עֹשֵׂר, & sepulcrum ejus eum divite. Mihi caussas difficultatis rimanti, duæ potissimum succurrerunt, (1) quod vocem בְּמַתִּיר interpretes, quos inspicere mihi licuit, ad unum omnes, Judæi & que ac Christiani, habuerunt pro plurali nominis מְוֹתָה, cui Præfixum בְ junctum esset ; exponendumque duxerunt in mortibus, vel in morte ejus. (2) quod רְשֻׁעִים & עֹשֵׂר, improbos & divitem, duo diversa esse putaverunt hominum genera. Quibus positis, non potest non perdifficilis evadere locus, sic ut ad sententiam satis aptam vix queat redigi ; sublatis autem, planus effici posse visus est atque perspicuus. Atque hoc qua ratione obtineri posse censem, exponere in animum induxi.

§. II.

Primum igitur voce בְּמַתִּיר significari ali-
quid

quid opinor, quod ad sepulcrum pertineat; idque ex ipsa verborum serie apparere. Quod si enim *mortem* illa designare voluisse Propheta, non dubitandum videtur, quin ante *sepulcri* vocabulum posuisset, servato ordine rerum naturali, quo mors præcedit sepulturam. Ad transpositionem vocum, librarii culpa commissam, confugere, id vero secare nodum est, non solvere. Nunquam hoc remedio utendum esse arbitror in litterarum sacrarum expositione, nisi cum rationes id exigunt multo graviores clarioresque. Jam quod congruentius rei sit, quam *cippus*, vel *monumentum sepulcrale*, non poterit fortasse reperiri. Quod si igitur hujus significacionem non respuat vox בְּמִתְרֵי, erit, quo extricetur quod in vocabulo illo impeditum est. Non respuet autem, si pro Plurali habebatur Nominis בְּמַה. Respondet quidem hoc sæpenumero vi significandi Græco βωμὸς, sic ut *altare* denotet, sive molem altam sacrificiis faciendis destinatam. Quemadmodum vero vox ista Græca generatim locum quemvis editum, structuramque excelsam omnem, etiam quæ non altare est, interdum denotat, apud ipsum quoque poetam principem; b) ita Hebr. בְּמַה locum sæpius designat excel-

c) *Odyss.* VII, v. 100. ubi in versu :

Χεύστειος δὲ ἄρα καὶ τοι εὐδημότων ἐπὶ βωμῶν

εγασταν,

per

excelsum, sive a natura, sive arte (præsertim
cum במתה distinguishingur a גבעה, colle) c) fa-
ctum aggestumque, rem item sublimem, d)
nec minus structuram in altum assurgentem,
speciatim cippum, vel monumentum sepulcri
quodcunque. Quam postremam significati-
onem licet adhuc non observaverint Lexi-
cographi, manifestam tamen esse puto ex
hoc Ezechielis loco: e)
וַיֹּאמֶר אֵלִי בֶן אָרָם (א) כִּי
אָתָּה מָקוֹם כְּסֵא וְאָתָּה מָקוֹם כְּפֹתָר רְגֵל
אֲשֶׁר אַשְׁקֵן שֵׁם בָּרוּךְ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל לְעוֹלָמָה
וְלֹא יִטְמָא עֹור בֵּית יִשְׂרָאֵל שֵׁם קָדְשֵׁי הַמָּה
וּמְלִכְיָהָה בְּנוֹתָם וּכְפָגָרָה מַלְכָיוֹת בְּמוֹתָם
*Fili hominis, vides locum solii mei, & locum
plantarum pedum meorum (templum Hiero-
solymitanum,) ubi habitabo in mediis Israe-
litis in perpetuum. Nec polluet amplius do-
mus Israelitarum nomen meum sanctum* (Æ-
Pars VIII. O dem

per ἐϋδημήτρες Θωμάς non altaria pulcre exstructa,
sed, uti ex re ipsa liquet, structiones elevatae, qui-
bus juvenes infisterent, faces, in usum convivarum,
tenentes, debent intelligi. Vnde bene scholiorum
Parvorum auctor & Eustathius per βάσεις, κτίσ-
μα & άνάστημα exponunt.

c) ut 2. Chron. XXVIII, 4.

d) Sic ut Jobi IX, 8. sunt fluctus maris, qui
in במתה עב in sublime feruntur ; במתה עב nubes excelsa
Jef. XIV, 15.

e) Cap. XLIII, 7.

dem nomini meo consecratam) *cum ipsa, tum reges ejus scortatione sua, aut propter cadavera regum* (in loco vicino condita) *monumentis suis.* Dum במוֹתָם monumentis suis *verto*, discessionem quidem facio ab interpretibus omnibus, quippe qui de locis acceperunt editis, in quibus sacrificaretur, sed non sine ratione, ut credo, facio. Nam quum *cadaverum regiorum modo meminisset propheta*, non poterat statim loca memorare religioni dicata, tanquam sepulcris juncta, quia non solebant *Judæi*, etiam si ritum colerent superstiosum, id quod Regum tempore sàpius accidit, sacra facere in Iepulcreto, quod impurum illis, adeoque rei divinæ ineptum, habitum fuit semper. Longe igitur melius monumenta *huc quadrant sepulcralia*, Regibus defunctis constituta, quam structuræ, cultus divini caussa apparata. Nempe id potissimum sermone hoc dolet vir, Ezechieli in visione loquens, Reges *Judæorum* non fuisse veritos in templi, sedis illius divinæ, vicinia, seu in arce Zionis, quæ monti Moria xysto, ex valle interacente educto, juncta erat, foeda perpetrare facinora, decefforumque suorum condere cadavera: non repurantes, violari hoc ipso sanctitatem templi, ac reverentiæ eidem debitæ officium. Sic Davides ipse in civitate sua, h. e. in Zione, ubi Regia, e regione mon-

montis Moriaæ, sepultus est, f) sepulti etiam sunt reges Judææ ceteri plerique, Salomo, Rehabeam, Abiam & Assa, Josaphat, Joasus, Amazias, Vfias (quanquam hujus corpus in sepulcrum Davidicum ipsum illatum non fuit, sed in agro propinquuo terra mandatum, quod leprosus esset) g) Jotham, Achasus, & Hiskias, qui in superiori parte monumenti Davidici, בְּמַעֲלָה קָבֵר בְּנֵי דָוִיד, dicitur repositus, h) quod forte loculi inferiores jam essent repleti omnes. Ex Hiskiæ autem successoribus neminem amplius eodem in monumento conditum fuisse legimus, forte quod spatiū superesset nullum, vel quod maluissent illi in sepulcris requiescere peculiaribus, ipsorum cura factis, quæ templo propiora etiam fuisse videtur quam Davidicum. Manasse certe hujusque filius Amon juxta palatium suum, in horto Vfæ humati sunt, i) humatus etiam est Josias. Nam per *sepulcra patrum*, in quibus corpus illius abditum dicitur k), utique illa Amonis & Manassis, quos parentem avumque habuerat Josias, indicari existimo. Liquet igitur ex his, פָּנָרִי מֶלֶכְתָּם, five reges

O 2

Ju-

-
- f) 1. Reg. II, 10.
 g) 2. Chron. XXVI, 23.
 h) 2. Chron. XXXII, 33.
 i) 2. Reg. XXI, 18. 26.
 k) 2. Chron. XXXV, 24.

Judaicos vita funestos, adinodum prope jacuisse ab Æde divina; sicuti & in vivis inhabitaverant. Ad quam habitationem quæ apud Ezechielem sequuntur pertinent:
בתהם ספֶּס את ספר זהותם אצל מוזהרי והקריר בין וכינויים וטמאו את שם קורש בתשובותם אשר עשו ואכלו אותם נאף
Dum posuerunt limen suum (arcis suæ, in monte Zione) juxta limen meum (templi, in monte opposito Moria) & postem suum prope postem meum, sic ut paries tantum esset inter me & illos: Profanaruntque nomen meum sanctum factis suis detestandis, quæ commiserunt; quo circa & consumsi eos ira mea. Posthac vero longe aliter actum iri simul nunciatur. Fore enim, ut tum ab aliis facinoribus pravis abstineant Judæorum Reges, tum a corporibus regiis in loco Ædi sacræ utaha ירחקו את נזותם ופגרו מלכיהם טמנו ושכנתי בתוכם לעולם
Nunc vero removebunt scortationem suam, & cadavera regum suorum a me, condi hæc jubebunt procul ab Æde mea. Habitabo igitur inter eos in perpetuum.

§. III.

Jam sepultra Hebræi cippis, &, si hominum essent nobiliorum, monumentis magnificis, sive ædificiis sumtuosis formæ variaz, quæ, ob altitudinem, aptissime vocari potue-

tuerunt **במות**, solebant insignire. Antiquus hic illis mos fuit, duplici potissimum de caussa institutus usurpatusque. Primum ut e longinquo cerni possent sepulcra, adeoque a transiuntibus, quibus immunditiae fuga cordi esset, caveri. Deinde ut honori defunctorum, quorum nomen atque dignitas inscripta cippo vel monumento erant, consideretur, ac memoria eorundem diutissime conservaretur. Negat quidem R. Simeon ben Gamliel,^{l)} hominibus virtute excellentibus exstruenda esse monumenta, quod verba eorum, sive sententiæ egregiæ ab iisdem prolatæ, sufficient memoriarum ipsorum conservandæ: **אין עושין נפשות לזכרים ובריהם אין זכרוניהם חן.** Non sunt monumenta apparanda justis. Verba enim eorum sunt, quæ serviant memoriæ ipsorum propagandæ. At quis non intelligit, haudquaquam sententia hac vetare Simeonem monumenta strui viris iustis, h. e. sapientia & virtute præditis, sed hanc ejus esse mentem, memoriam virorum præstantium minime interitaram, etiamsi monumenta post mortem illis erigantur nulla. m) Ut vero declaremus istum Hebræorum

O 3

orum

^{l)} In Gemara Hierosol. ad Schekalim cap. 2. fol. 47. col. 1.

^{m)} Vid. R. ASARIA **מאור עננים** cap. LX. & cf. MART. GEIERVM de luctu Hebr. cap. VI. §. 10. item

orum morem, quem antiquum vocavimus, proferenda erunt ex historia gentis exempla ejus aliqua. Primum Jacobi esto patriarchæ, quippe qui sepulcro Rahelæ uxoris dilectissimæ, statuam imposuit, five columnam, quæ ad Mosis usque atatem superfuit. ויצוּ בָּעֵבֶר מִצְבַּח עַל קְבָרָתָה הַוָּא מִצְבַּח קְבָרָתָה רָהֵל עַר
מצבה על קברתה הוא מצבח קברת רחל ער Columnam erexit Jacobus supra ejus sepulcrum, quæ etiamnum bodie vocatur columna sepulcri Rahelæ. n) Vbi vocem perinde erit, five statuam columnam inter-
preteris, five monumentum; opus certe innuitur memoriarum Rahelæ sacrum. Alterum incolarum sit Bethelis, qui viro illi divino, qui ruinam minitatus fuerat altari Bethelitico, per Josiam regem inferendam, aliquod statuerant צוֹר; quam vocem undecunque derives, vix possis aliter quam signum vertere, five monumentum. Conspicatus hoc Josias rex, altare Betheliticum, ossibus humanis supra illud crematis, profanans, sciscitatusque cujusnam esset, violari ubi cognovisset, ossaque moveri vetuit. o) Tertium, idque maxime illustre, historia subministrat gentis Haf-

mo-

item Jo. NICOLAI de sepulcris Hebr. lib. IV. c.r. & II. Adde Jo. HENR. HOTTINGERI Cippes Hebr. ubi diversæ formæ monumenta, viris inter Hebræos claris posita, in æs incisa conspiciuntur.

n) Gen. XXXV, 20.

o) 2. Reg. XXIII, 17. Cf. 1. Reg. XIII, 2. sqq.

monax, docens, Simonem fratribus juxta ac parentibus suis monumentum posuisse magnificum, in oppido Judææ Modin, vel prope illud. p.) Καὶ ὠκοδόμησε Σίμων ἐπὶ τὸν τάφον τὴς πατέρος αὐτῷ καὶ τῶν ἀδελφῶν αὐτῆς, καὶ ὑψώσεν αὐτὸν τῇ ὁράσει λίθῳ ξεστῷ ἐκ τῶν ὅπιθεν καὶ ἐκ τῶν ἔμπροσθεν. Καὶ ἔγινεν ἐπ' αὐτὰ ἐπτεταγματίδας, μίαν κατέναυτι τῆς μιᾶς, τῷ πατέρι καὶ τῇ μητρὶ καὶ τοῖς τέσσαροις ἀδελφοῖς. Καὶ τάυτας ἐποίησε μηχανήματα, περιθείσες σύλλαγμα μεγάλας, καὶ ἐποίησεν ἐπὶ τοῖς σύλοις πανοπλίας ἐις ὄνομα ἀιώνιον, καὶ παρὰ ταῖς πανοπλίαις πλοῖοι ἐπιγεγυλυμένα, ἐις τὸ Θεωρεῖον ὑπὸ πάντων τῶν πλεόντων τὴν Θάλασσαν. Οὗτος ὁ τάφος ὃν ἐποίησεν ἐν Μωδεὶν, ἕως τῆς ἡμέρας τάυτης. Exstruxit Simon supra sepulcrum patris sui fratrumque suorum monumentum, extulitque illud in altitudinem conspicuam, fabricatum quidem ex lapide polito a parte anteriori & posteriori. Imposuitque pyramidas septem, unam contra alteram, patri & matri fratribusque quatuor (una sibi reservata.) Adjecit his opera etiam alia, columnis videlicet magnis circumpositis, ex quibus arma suspendit, æternæ memoriae ergo. Juxta arma autem

O 4 na-

p) I. Macc. XIII, 27. 28. 29. 30. Cf. JOSEPHVM Antiqu. Jud. I. XIII. c. VI. §. 5.

naves insculpi curavit, quæ cerni possent ab omnibus mare navigantibus. Hoc est monumentum illud, quod Modimis condidit, hodie num superstes. Denique JOSEPHVS refert, q) Herodem Magnum, flamma ex sepulcro Davidico, unde thesauros rapuerat magnos, erumpente exterritum, τὰ δέες ἰλασήγον, μνῆμα λευκῆς πέτρας ἐπὶ τῷ νομίῳ κατασκευάσαθαι πολυτελὲς τῇ δαπάνῃ. placandi Numinis gratia exstruxisse in ostio sepulcri, magnis sumtibus, monumentum albo lapide. Equidem quæ de repertis illo in sepulcro, ablatisque inde per Herodem vasis aureis, pretiosisque aliis, narrat Josephus, pro veris non habeo, sed tradita ab illo fuisse credo ex rumore vulgi, quod cum homines videt opibus ultra modum abundantes, statim sibi persuadet, thesaurum alicubi latentem effossum ab illis esse, aut ratione alia in manus eorum incidisse. At de monumenti ædificatione nullus plane dubito. Tantamne enim fuisse Josephi audaciam, ut opus aliquod Herodi tribueret, quod publicum esse oportuit omniumque conspectui expositum, si nunquam illud extitit? Utique igitur monumentum novum, quum pristinum vel dirutum esset, vel vetustate collapsum, ante sepulcrum Davidis exstruxisse arbitror Herodem, atque eo qui-

q) *Antiq. Jud. I. XVI. c. VII. §. I.*

quidem exstruxisse consilio, ut quanta Regum gentis antiquorum, ac in his Davidis cum primis, memoriam prosequeretur veneratione testatum omnibus ficeret. Ac dedit fortassis ipsa illa structio occasionem nonnullis, Herodi minus faventibus, vel veram certe caussam ignorantibus, spargendi in vulgus fabulam de recluso ante spoliatoque sepulcro. Neque vero suscepturnus ædificationem illam fuisset Herodes, si consuetudine ea repugnasset, & non olim quoque monumento aliquo decoratum fuisset sepulcrum regium. Christi etiamnum atate moris apud Judæos fuisse, ut viris præclaris, eo loco, ubi terræ fuissent mandati, monumenta ponerentur, vel olim certe posita conservarentur, magisque exornarentur, ex ipsis clarum est Servatoris verbis, quibus acriter reprehendit Phariseos, quod cum omni suo studio, quod sepulcris prophetarum, virorumque justorum, ædificandis ornansque adhibeant, nihilo meliores sint majoribus suis, a quibus viri divini interfecti. r.)

§. IV.

Apud recentioris ætatis Judæos consuetudinem, ponendi supra tumulum monumentum aliquod, minime obsoleuisse, ex hoc

O 5

MAI-

r) Matth. XXIII, 29. sqq.

MAIMONIDIS cognoscitur præcepto: s) חופרין בעפר מערות ועשין כוך בצד המערה וקורבן אותו בו ופנו למעלה ומחזירין העפר והאכנים עליו ווש להן לקבור בארון של עץ והמלחין אותו אומרים לו לך בשלום שנאמר אתה תבוא אל אבותיך בשלות ומשיינין את כל בית הקברות ובונין נפש על הקבר *Speluncas effodiant in pulvere, faciantque ad latus speluncæ loculum, in quo corpus defuncti sic reponatur, ut facies versa sit sursum. Tum terram lapidesque in illud injiciant. Condant vero mortuum in arca lignea, dicantque qui deducunt funus: Abi in pace, eò quod Abraham dicitum est Gen. XV, 15.* Venies ad patres tuos in pace. *Signent etiam locum sepulcrorum omnem, erigantque supra sepulcrum quodvis monumentum.* Hodie etiam, si quis sepulcretum Judæorum aliquod ingrediatur, mirabilem cipporum, sive lapidum sepulcralium, spectabit multitudinem, eosque singulos suis notatos inscriptionibus. Appellantur vulgo, sicuti ex superioribus constare jam potest, נפשות, quasi *cadavera* dicas (nam נפש apud Hebr. *cadaver* etiam est,) quod mortuorum ibi conditorum sint *indicia, & צוינים, signa, sive monumenta.* Eas voces pro synonymis habent multi; aliqui

s) In הלכות אבל Cap. IV. §. 4.

qui tamen discrimen inter eas faciunt. Dif-
stinxit certe R. TANCHVM apud POCO-
CKIVM, t) dum נפש structuram esse ait,

البنية التي تبني على قبر من فوق كي
يعلم أنه قبر ويبعد عن sepulcro superne in-
edificatam, ut sepulcrum esse agnoscatur,
recedaturque ab eo longius: حاجز vero,
كالسور يربنا حول المقابر ليلاً تدوسها عبار
الطريق, septum instar muri, circa sepulcre-
ta exstructum, ne ea conculcent, qui per vi-
am transeunt.

§. V.

Ad momentum difficultatis alterum venio,
ex eo existens, quod improborum & divitiae
vocabula non ad unum idemque, sed ad
duo diversa mortalium genera pertinere exi-
stunt. Ego vero synonyma censeo, sic
ut qui ante vocati erant *impii*, sive impro-
bi, postea dicantur *divites*. Nam quia di-
vitias cum impietate atque improbitate con-
junctas ut plurimum esse, animadvertebant
Judæi veteres, hinc *divitem* aliquem vocare,
עשר, perinde illis erat ac *impium* eum di-
cere, עשר. Docuerat illos experientia, ad-
mo-

t) In *notis miscell.* ad *Portam Mosis* p. 77. edit. Oxon.
cf. MAIMONIDEM ad *Mishnam Oholoth* c. VII.
§. I.

modum raros esse opulentos, qui pietatem virtutesque colerent reliquas: plerosque negligere. Præbuerant ejus rei exemplum ipſi Israelitæ, qui, quemadmodum vere Deus Moſi prædixerat moribundo, v) affluentia rerum uſi, & saturati pinguefactique, ſpreto Deo vero, violatoque fædere cum eodem i-nito, ad Deos ſe converterant alienos, hosque colere instituerant. Comprobaveratque eventus abunde, quod Moſes ipſe in Cantico ſuo fuerat auguratus, x) fore ſcilicet, ut *pingues facti Israelitæ recalcitrent, Deum creatorem suum deferant, rupemque salutis ſuę ſpernant.* Qua de re & Hoseas conqueritur propheta, y) quando ישבעו שבען Cum pascui ſui, ait, fruerentur abundantia, ſatiati ſunt, ſatiati, inquam, ſunt, & elatus factus eft animus eorum, eaque propter mei ſunt obliti. Fatentur etiam hoc ingenue ſacerdotes & Levitæ, in precibus ad Deum pro toto populo uifis: z) Postquam urbes munitas occuparunt majores nostri, domosque poſſidere incepérunt omni bonorum genere plenas, puteos in rupe exciſos, vineas, oliveta, & arbores fru-giferas magno numero: Tum comederunt, ſatu-

u) Deut. XXXI, 20.

x) Deut. XXXII, 15.

y) Cap. XIII, v. 6.

z) Nch. IX, 25, 26.

*saturati sunt, pingues evaserunt, deliciarique
sunt, propter beneficentiam tuam magnam.
Postea rebellarunt in te, legem tuam a tergo
abjecerunt, Prophetas tuos, qui, ut ad te il-
los reducerent, multum eos erant obtestati,
occiderunt, eaque quibus vehementer te irri-
tarent, commiserunt. Hoc cogitans Agur
orat Deum, a) ut divitias dare ipsi nolit, ne
satiatus mentiatur, & dicat cum contumelia:
Quis est Jehova? Agnoverunt idem Græco-
rum quoque sapientes, in quorum effatis
scita sunt hæc THEOGNIDIS: b)*

*Τίκτει τοι κόρη θύβριν, ὅταν καινῶ ὀλβίας ἐπηται
Αὐθεώπω, καὶ ὅτῳ μὴ νέος ἀρτιος η.*

*Parit sane saturitas injusitiam, quando
malum felicitas comitatur*

*Hominem, & cui mens non est integra
Πολλάς τοι κόρη θύβρας ἀνδρας απάλεσεν ἀφεονέοντας,
Γνῶναι γὰρ χαλεπὸν μέτρον, ὅτ' ἐσθλὰ παρῇ.*

*Multos saturitas viros perdidit insipientes:
Cognoscere enim difficile est modum,
quando bona adsunt.*

Docet etiam servator Optimus, quanto vir-
tuti impedimento esse soleat opulentia, cum
sic pronunciat: c) Διμήν λέγω υμῖν ὅτι δυσκόλως
πλά-

- a) Proverb. XXX, 8.
- b) Vers. 153, & 693.
- c) Matth. XIX, 23.

πλάσιον εἰσελέυσεται εἰς τὴν Βασιλείαν τῶν ρεανῶν
κ. τ. λ. Vere dico vobis, quod difficulter ingredi-
etur dives in regnum cœlorum cert. Et quid est,
quod eundem, ut vñ diceret divitibus d) impulit,
nisi impietas morumque pravitas, quam
fectari solerent locupletes? Quis itaque mire-
tur, si Elaias, (cui eodem in versu comma-
ta conjungere synonyma, quorum posterius
epexegeſis sit prioris, cum alias e) tum hoc
ipso in capite f) solenne est) quem modo
improbum vocaverat, statim, declarationis
cauſa, appellet divitem, ut cuius fortis im-
probum intelligat, clarius etiam significet.
Possit proinde paraphrasis verborum ejus
hæc esse: „ Voluit Deus sepulcro eum con-
„di tali, quale esse solet hominum impio-
„rum, eorum scilicet, qui opibus abundant.
„Voluit, inquam, collocari corpus ejus in
„spelunca, monumento quodam ornata, at
„que divitis alicujus corpori recipiendo de-
„stinata..

§. VI.

Morari quenquam non debet multitudi-
nis numerus in voce במתין, quæ in illo u-
nitatis poni debuisse videatur, quum sepul-
cro uni non nisi monumentum conveniat
unum. Etenim, (ut numeri mittamus en-
alla-

-
- d) Luc. VI, 24.
e) E. c. Cap. XXX, 2. 3. 5.
f) V. g. versu 4.

allagen, ad quam alioqui, tanquam in litteris sacrīs frequentissimam, confugere com mode poteramus) uno in monumento *ope ra excelsa* plura esse poterant, e. c. columnæ aut pyramides, ut in illo Harmoniorum, de quo §. III. dictum est, sic ut haut incongrue illud vocaretur בְּמוֹת, *excelsa*, quippe ex molibus excelsis pluribus compositum. Porro nec infringere interpretationem nostram punctuationis potest ratio, quæ esse solet בְּמִתְנִיו, si vox sit ex בְּמַה, non בְּמָה, ut in nostro Esaiæ loco legitur. Neque enim, quod pridem demonstratum est ab aliis, tanta punctorum vocalium auctoritas est, ut norma esse debeant omnis interpretationis. Obstent illa nunquam expositioni, quam res forte ipsa postulat. Quod reliquum est, si, quod ab interpretibus fit plerisque, de Josephi Arimathæensis sepulcro capiantur verba Esaiæ, nemo propterea virum optimum *impium* a propheta nuncupari existimare debet. Nam illud רְשֻׁעִים non tam ad virum quendam singularem pertinere dici potest, quam ad homines, qui illius, quæ statim indicatur, conditionis sint, divites putata, plerosque, impietatis culpa haud carentes, licet nec pietatis virtutisque cultores eodem in genere omnino desint. Possunt ut in cœtu optimo aliqui mali, sic in maxime perverso nonnulli esse boni. Proprius esse

esse solet pauperibus animus abjectus, humiliſ, & a virtutis studio non alienus; at quis in illis ferocissimos reperiri ignorat, superbissimos, & in omne vitium proclives? Et quis Cretenses cunctos iis suisſe credat moribus, quos Paulus genti in universum tribuit, allata quadam Epimenidis sententia: g)

Κεῆτος αἱ Ψεῦται, πανὰ θνητα, γαστέρες αἰγαῖ. Sic Josephus etiam inter divites, quorum pars maxima nec Deum, nec virtutem curat, pius esse poterat omnisque officii observatissimus Itaque in hanc sententiam oraculum illud propheticum licebit explicare: „Concessit ei Deus sepulcrum cum „illo hominum genere, quod impium est ut „plurimum, commune. Concessit ei, in- „quam, monumentum cum divite, seu idem, „quod diviti eidam erat exstructum.

OBSERVATIO VI. DE EXTREMIS TERRÆ

AET. I, 8.

Εσεθέ μοι μάρτυρες ἐν τε Ἱεροσαλήμ καὶ ἐν πάσῃ
τῇ Ιudeίᾳ, καὶ Σαμαρέᾳ, καὶ ἔως ἑχάρτω τῆς γῆς.

Eritis mihi testes cum Hierosolymis, tum
in tota Iudea & Samaria, tum denique ad
extrema usque terræ (regionis.)

CON-

g) Tit. I, 12.

CONSPECTVS.

Per ἤχατον τῆς γῆς regio terrae Judaicæ ad septentrionem extrema, b. e. Galilæa, præcipue designatur. Ratio prima: Christum, partes ejusdem terræ loco hoc enumerantem, Galilæam præterire voluisse non est credibile. Situs Galilææ conditio ex Josepho §. I. Ratio secunda: ἡ γῆ in Novo Testam. solam sèpissime indicat Palæstinam, ut in Veteri §. II. Ratio tertia: Discipuli tunc temporis doctrinam Christi salutiferam in regionibus orbis terrarum ultimis, adeoque iis etiam, in quibus Judæi incolerent nulli, prædicandam esse, nondum intelligebant. §. III. Ratio quarta: Scriptores etiam exteri phrasin vel eandem, vel similem certe, sensu sumunt strictiori, de parte certæ cuiusdam regionis extrema. §. IV. Non excluduntur tamen, ex mente Christi, regiones longissime distare: de quibus eandem formulam Hebrei adhibent atque Græci §. V.

§. I.

VT per ἤχατον τῆς γῆς extrema terræ Judaicæ, seu regionem hujus ad septentrionem extreamam, hoc est Galilæam, sensu primario designari, ac de illa acceptam a discipulis formulam fuisse, credam, variæ sunt, quæ impellunt, rationes. Nam primo evidens est, voluisse Christum, ut testimonium de ipsius in vitam redditu, deque doctrinæ ab ipso propositæ veritate, in partibus terræ Judaicæ omnibus dicerent Apostoli. Hanc autem voluntatem suam satisne expli-

Pars VIII.

P

cas-

casset Servator, si, dum partes ejusdem regionis enumerare institueret, Galilæam præteriisset, reliquis neque minorem, neque minus nobilem? Revocet sibi, quæsio, elector in memoriam, divisam regionem Judæorum, quæ cis Jordanem erat, universam in tres fuisse partes, Judæam, Samariam atque Galilæam. Jam eas inter, si quis ab austro progrederetur in septentrionem, extrema occurrebat Galilæa, quippe Samaritide, Phœnicio, Syria, Gennesaritico & Samochonite lacubus, & ex parte Jordane quoque fluvio, conclusa. Quam situs rationem non abs re erit verbis JOSEPHI declarare: a) Δύο δ' ὅσας τὰς Γαλιλαίας, τὴν τε ἄνω, καὶ τὴν κάτω προσαγορευομένην, περιίχει μὲν ἡ Φοινίκη οὐδὲ Συρία. Διορίζει δὲ ἀπὸ μὲν δύσεως ἥλιος Πτολεμαῖς τοῖς τῆς χώρας τέρμασι, οὐδὲ Κάριμηλο, τὸ πάλαι μὲν Γαλιλαίων, νῦν δὲ τυείων ὄρο. ὃ προσίγγει Γαβᾶ, πόλις ἱππέων, ἥτως ἀγορευομένην, διὸ τὸ τὰς ὑφ' Ήρώδης τῷ βασιλέως ἀπολυομένῳς ἵππεις ἐν αὐτῇ κατοικεῖν. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, Σαμαρείᾳ τε, καὶ Σκυθόπολις μέχρι τῶν Ιορδάνων ἥρες Θρασῶν πρὸς ἔω δὲ ἱππηνή τε οὐδὲ Γαδαρίς ἀποτέμνεται, οὐδὲ ἡ Γαυλανῖτις ἀυτῇ, καὶ τῆς Αγρίππα βασιλείας ὁ ὄρος. τὰ προσάρκτια δὲ αὐτῆς τύρων τε οὐδὲ τυρίων

a) *De bello Jud.* I. III. c. III. §. I.

Tυγίσιον χώρα περιτται. Duæ autem sunt Galilææ, una Inferior, altera Superior appellata, easque Phœnice & Syria circumdant. A solis quidem occasu eas disternat Ptolemais territorii sui finibus, atque Carmelus, olim quidem Galilæorum, nunc autem Tyriorum mons, cui adhæret Gaba, urbs equitum dicta, quod equites ab Herode Rege dimissi illic habitent. A meridie autem Samaritis & Scythopolis, usque ad fluenta Jordanis. Ab oriente vero eam terminant Hippene & Gadaris, atque ipsa Gaulanitis, regnique Agrippæ fines. Septentrionalia autem ejus Tyrus claudit, & Tyriorum regio. Post hæc nonnulla de Galilææ magnitudine, fertilitate, urbium ejus vicorumque, incolarum item frequentia ita differit Josephus, ut facile appareat, & amplam fuisse regionem, & optimo solo præditam, atque hominum copia præ ceteris abundasse. Nullamne igitur ejus habitam fuisse rationem in regionum Palæstinæ recensu? Fac dicere aliquem, agi hoc istudve Corinthi & in tota Peloponneso, in Attica, & in regionibus longinquis, quis ejus ex verbis fieri id intelligat in Graecia uniuersa, quum Boeotia, Locridis, Phocidis, Aetolia, Thessalia cet. mentionem fecerit nullam?

§. II.

Secundo, non potest fugere quenquam,
P 2 phra-

phraseos sacræ gnarum, vocem γῆς, præser-tim cum Articulo conjunctam, in N. T. solam sæpiissime signare Palæstinam, perinde ac Hebraicam γῆν, in antiqui fœderis tabulis. Quod quum alibi jam sit demonstratum, b) supervacuum foret prolixè hoc loco ostende-re. Itaque usus loquendi scriptorum divino-rum neutiquam repugnat, quo minus ἡχετον γῆς γῆς de regione Palæstina extrema interpre-temur, quæ Galilæa erat ad septentrionem. Exclusam tamen nolim Peræam, sive regio-nem trans Jordanem, quippe pariter extre-mam, si plagam species solis orientis.

§. III.

Tertio, ea tunc temporis adhuc erat disci-pulorum, (quorum captui sermones Chri-stus suos, pro divina sua sapientia, attemp-re solebat) infirmitas, ut beneficia regni Christi oblatum iri crederent nemini, nisi iis solis, qui ex sanguine prognati essent Judaico. Cujus opinionis, quæ ex Judaismo ipsis remanerat, vestigia satis sese prodiderunt, quan-do lis mota suit Petro, quod Cornelio cen-turioni, licet is religioni Judaicæ addictus quodammodo jam esset, factus quippe prose-dytus, ut vocant, portæ, doctrinam Christi exposuisset, gregique eum Christiano asso-cias-

b) *Observat Philol. P. II. Obs. III. §. VII. & P. III. Obs. VI. §. II. Cf. RELANDVM in Palæft. lib. I. c. 5.*

ciasset. c) Aegre igitur capere potuissent & concoquere verba Christi, si illis juberi se putassent, doctrinam salutiferam in regionibus orbis terrarum ultimis, adeoque iis etiam, in quibus Judæi incolerent nulli, promulgare. Quare Apostolos certus sum ad auditas voices: ἔως ἐξατρ τῆς γῆς, de alia regione non cogitasse, quam de ea, quæ in Iudaorū terris extrema esset.

§. IV.

Quarto denique uti solent scriptores etiam exteri phrasl vel eadem, vel simili certe, sensu eo, ut partem indicent ultimam non totius terrarum orbis, sed certæ cuiusdam regionis. Ita v. c. πείρατα γαῖς, fines terræ, HOMERO occidentalia sunt Messenianæ, in Peloponneso ad mare sita Jonium, sicuti alio loco ostendimus. d) Porro apud THEOCRITVM ἐχατα γῆς agri sunt in iis, qui ad Alexandriam Aegypti pertinent, ab urbe maxime remoti: quod ex ipso clarum est argumento idyllii XV. cuius hic est versus:

Ταῦθ' οἱ πάρειροι τὴν θεόπολιν ἐπὶ ἐχατα γῆς ἐλαβόντες
ἐνθών.

Hæc demens ille, maritus meus, extrema terræ occupavit veniens.

AESCHINES ejusmodi agros ἐχατιὰν vocat

P 3

c) Act. XI, c. sqq.

d) Observat. Philol. p. II. l. c.

cat, cum e) τὴν δὲ ἐχατιὰν, inquit, ἐπέλαστρο πάε^ν
ἀντὶ Μνησίθεοῦ ὁ Μυρρινόςτιος, τόπον μὲν πολὺν
δεινῶς δὲ ἐξηγεωμένον υπὸ τοτε. Fundum ab ur-
be semotiorem emit ab eo Mnesitheus Myrrhinusius, amplum illum quidem, sed illius
culpa prorsus tribulis & sentibus obsitum.
Vocat etiam LVCIANVS, hæc Timoni tri-
buens verba: f) Αὐτὸς δὲ ἡδη πᾶσαν περιάμενος
τὴν ἐχατιὰν, πυργίον ὀικοδομησάμενος υπὲρ τῆς Θη-
σαυρῆς, μόνω ἐμοὶ ἵνανὸν ἐνδιαιτᾶθαι. τὸν αὐτὸν καὶ
τάφον ἀποθανὼν ἔξειν μοι δοιῶ. At ego quam
maxime semotum mercatus agrum, turricu-
laque ad servandum thesaurum constrūta, mi-
bi soli satis esse putabo ad vivendum inhabi-
tandumque: & ibidem mihi defunctor sepul-
crum esse volo. In quibus οὐ ἐχατιὰ ager est,
in Atticæ positus limite. In hoc enim juxta
Halas, ad mare, & habitaculum & sepulcrum
habuit Timon, teste PLUTARCHO. g)

§. V.

Tametsi vero discipulos Christi per ἐχατον
τῆς γῆς regionem haud aliam, quam quæ extre-
ma esset terræ Judaicæ, intellexisse persuasum
mihi

-
- e) Orat. in Timarchum p. m. 184. Cf. ARISTOTE-
LEM Polit. I. VII. c. X.
f) In Timone T. Opp. I. p. 135.
g) In vita M. Antonii p. 949. De Halis vide STEPH.
BYZANT. de urb. & pop. p. 58.

mihi sit; largior tamen, si ipsius Christi mentem spectemus, regiones longinquas, atque adeo in finibus orbis terrarum habitati, illoque tempore cogniti, fitas haudquam excludi: quin potius simul comprehendendi contendo. Quod & tempore succedente intellexisse patet Apostolos, quando in terris etiam remotissimis praconium sibi putarunt faciendum. Ac pollet sane formula: ἐχατον τῆς γῆς, hac etiam potestate, ut regiones denotet longissime distitas. Sic locuti sunt Hebrei, locuti etiam sunt Græci. Scriptores Hebræorum sacri quid suo אֶרְכָּתִי toties apud ipsos obvio, plerisque in locis dicunt, nisi terras procul remotas? Et quid in his APOLLONII: h)

Αἰα δὲ Κολχίς

Πόντος καὶ γαληνὸς ἐπικένθιται ἐχατίσιν.
terra Colchica, in extremitate ponti ac ter-
ræ sita est, nisi regio, ultra quam, Argonau-
tarum ævo, vix quidquam fuit cognitum?
Loca alia, post Jo. VORSTIVM, i) ex So-
phocle & Athenæo protulit HORATIVS
VITRINGA. k) Quibus nos unum addimus
THEOCRITI, l) quo Caucasum ἐχατόεντα, ex-
tremum, vocat, quoniam a Sicilia, vel a Græcia
mons ille longissime abest. O B-

h) Argonaut. I. II. v. 419.

i) De Hebraismis Novi Testam. c. XXII.

k) In Animadversionibus ad Vorstium cap. V. p. 233.

l) In Thalysis, five Idyll. VII. v. 77.

OBSERVATIO VII.

DE EXCAECANDIS IIS, QUI
SACERDOTEM ASPICIVNT BE-
NEDICENTEM.

CONSPECTVS.

*Judei excæcari tradunt eum, qui manus aspiciat sa-
cerdotis, formulam benedictionis solemnem reci-
tantis. Artificium vero ea in re versatur Sapi-
entum antiquorum, quo efficere studuerunt, ut pro-
spectus oculorum liberior attentioni servanda im-
pedimento ne esset §. I. Didicerunt illud vel a Gre-
cis, vel a Romanis. Vtrique enim a certis qui-
busdam sacris & mysteriis oculos arceri jusserunt,
nisi perdere quis eos vellet. Excæctorum exem-
pla: Tiresia, Ili, Metelli, & Apty §. II. Roma-
ni virum, qui sacra aspiceret Bonæ Deæ, aut Ce-
reris fanum foret ingressus, oculorum usu privari
crediderunt. §. III. Aristæ de Theodecte poeta,
qui fabulis suis nonnulla e sacris Judæorum monu-
mentis inscrere voluerat, traditio. Phineus vates,
propter enunciata Deorum consilia excæcatus. §. IV.*

§. I.

Ingressus aliquando Synagogam Judæorum
in urbe quadam vicina, eo die, quo novi
anni ab ipsis agebatur solennitas, iis præci-
pue ritibus spectandis intentus eram, qui in
recitanda benedictionis sacerdotalis formula,
a Mose prescripta, observarentur. Adstabat
mihi tunc Judæus aliquis, qui amicus mihi
videri volebat; inde a pluribus annis. Hic

P 5

simul-

simulac manus, more solito, composuissent
elevassentque a) sacerdotes benedicturi, gra-
dibus ad arcam, in qua volumina legis mem-
branacea servantur, infistentes, admonebat
me serio, ut oculos averterem: periculum
enim esse magnum, ne gravissime laderentur,
propter splendorem Schechinæ, sive Numi-
nis, manibus insidentis. Comperi tunc re ipsa
verum esse, quod in S. J. scripsit Buxtorfius:
„Quum finitis precibus sacerdos benedictio-
„ne populum prosequitur, manus & digi-
„tos ab invicem divaricat: Tum enim di-
„cunt sapientes majestatem & præsentiam di-
„vinam super Sacerdotis manibus quiescere:
„ideo, ne quis e plebe manus illius aspiciat,
„graviter sunt interminati; eum enim, qui
„hoc ausus fit, protinus excæcari. „ Ego
vero, nihil moratus præmonitionem, eo a-
erioribus oculis intuitus sum sacerdotes, do-
nec absolvissent functionem, longam quidem
illam, quia verba omnia mirum in modum
diducuntur: retulique oculos salvos, non
sine quadam hominis admiratione. Cœpi in-
terior in caussam inquire opinionis, qua
excæcandus creditur, qui oculos in sacerdo-
tem, in benedictionis recitatione occupa-
tum, converterit. Sapientes Judæorum an-
tiquos, interdicti de non aspicioendo sacer-
dote

a) Qua de re copiose differit Jo. HENR. HÄNE-
RVS in Exercitat. de ritu benedict. sacerdot.

dote benedicente auctores, persuadere mihi non potui adeo desipuisse, ut re vera lumini-
bus orbatum iri crediderint, qui illa non ab-
straxisset, propter fulgorem Numinis pra-
sentis. Artem potius illorum aliquam versari
ea in re judicavi, qua quos vera ratione mo-
veri posse desperabant, metu summi pericu-
li incusso, cautos reddere studuerint. Nec
sefelliſſe me opinionem deprehendi, post-
quam hæc legi MAIMONIDIS : b) **כשיהו** (b)
 הכהנים מברכים את העם לא וביתו בעט
 ולא יסיחו רעתן אלא יהו עיניהם כנגר הארץ
 כעומד בתפילה ואין אום רשאי להסתכל
 בפניהם הכהנים בשעה שהן מברכין את העם
 כדי שילא יסיחו ועתם אלא קרל העם
 מהכוונין לשמווע הברכה ומכווניות פנויהם
 כנגר פניהם הכהנים ואינם מביטים בפניהם.
*Cum sacerdotes benedicunt populo, in hunc ne intue-
 antur, ut animus ipsis ne distrahatur; sed
 demittant oculos terram versus, ut mos est
 precantibus. Nec fas est cuiquam aspicere
 faciem sacerdotum, dum benedicunt populo,
 ut cogitationes ne turbentur, sed totus cœtus
 attente auscultet benedictioni, facie quidem
 ad sacerdotum faciem conversa, sed ita, ut
 hanc ne contueatur. En ergo veram ra-
 tionem! Noluerunt Doctores cœtui pro-
 speculum oculorum liberum indulgere, veriti,
 ne impediret is, quominus accurate attende-
 ret*

ret recitationi, ex qua fructus penderet maximus, quamque ita voluerunt accipi, ac si ex ipsius Dei ore proficisceretur. c)

§. II.

Illud vero ipsum ut eo facilius levi a plebe impetrarent, terriculamento quodam utendum censuerunt, persuadendumque esse populo, fore, ut si in re tam gravi abutetur oculis, usū eorum privetur. Hoc autem artificium didicisse mihi videntur partim a Græcis, partim a Romanis, a quibus multas uti cærimonias, ita opiniones quoque admisisse recentioris ævi Judæos, alibi jam docuimus. d) Vtrique, nempe, a certis quibusdam sacris ac mysteriis oculos arceri voluerunt, minati pariter cæxitatem intuentibus. Sic illud Palladis simulacrum, quod virgines Argivæ, stato quodam anni die, ad Inachum fluvium solemni pompa delatum, rite abluebant, virorum nemini, qui oculos cuperet incolumes, nudum aspicere fas erat.

CALLIMACHVS: e)

Αλλά, Πελασγὲ,

Φράξεο μὲν ἐθέλων τὰν βασιλειῶν ἴδης.
Οἵ τε νεν ἴδη γυμνῶν τὰν Παλλάδα τὰν πολιάρχον,
τῷεγθέ έσοψεῖται τῷτο παντάπιον. Sed

c) Vid. BVXTORFIVM in *Mantissa ad Synag. Jud.*

d) *Observat. philol.* P. I. Obs. II. & III. item *Observ.* V. p. 117. & P. II. Obs. II. cet.

e) *Hymno in lavacrum Palladis*, v. 51. Cf. APOLLODORVM Biblioth. I. III. c. VI. ubi eadem refertur fabula.

Sed tu, Pelasge,

*Cave ne invitus etiam reginam Minervam
aspicias.*

*Qui aspexerit nudam Minervam, tutelarem
Deam,*

Argos aspiciet hoc postremum.

Confirmat hoc poeta postea Tiresiæ vatis
exemplum: f)

*τειρεσίας δ' ἔτι μᾶνθρωποι, ἀμαὶ κυστῖν, ἄχτι γένεσι
Περηφάνων, ιερὸν χῶρον αἰνεῖσθέτο.*

Διψάσαις δ' ἀφατόν τι, ποτὶ ρόου ἥλυθε ηράνας,

Σχέτλιον· όπι έθέλων δ' εἶδε τὰ μὴ θέμιδες.

Τὸν δὲ χωλασταμένα περ, ὅμως προσέφασεν Αθάνα-

τίς σε, τὸν ὄφαλμως όπι ἔτι ἀποισόμενον,

ἢ Ευηγέιδα, χαλεπὴν ὁδὸν ἀγαγε δάιμων;

Ἄ μὲν ἔφα, παιδὸς δ' ὅμματα νῦξ ἐβαλεν.

*Tiresias vero solus, cum canibus, modo in
mento*

*Nigrescens lanugine, in sacro loco versaba-
tur:*

*Et quia sibi infando modo, ad rivum ve-
nit fontis*

*Miser: ubi invitus inspexit, quod haud fas
erat inspicere.*

*Hunc autem, quantumvis irata, tamen allo-
quebatur Minerva:*

*Quis te, oculos tuos non amplius hinc de-
 deportaturum,*

O E-

f) Ibid. v. 75.

O Everide, in funestam hanc viam perduxit?
Hæc quidem sic locuta est: at pueri oculos
tenebræ obruerunt.

Ilo etiam, Trois filio, incendio Palladium
erepturo, idem accidisse PLVTARCHVS
auctor est: g) EV ILIΩ τῇ ναῖτῆς ΑΘΗΝΑΣ ἐμπει-
θεῖται, προσδεάμαντι λαῷ τὸ διοπετὲς ἡγεμονί-
παλλαδίου, καὶ ἐτυφλωθη. & γὰρ ἐξὸν ὑπ' ἀδεὸς
βλέπεσθ. ὕπερον δὲ ἐξιλασάμενον ἀνέβλεψεν.
Apud Ilium ardente templo Minervæ, Ilus ac-
currans cœlo delapsum Palladium eripuit, ac
captus est luminibus, quod illud videri aviro
nefas erat. Postmodo tamen, placato numi-
ne, visum recepit. Addit statim, Metellum
quoque, virum primarium, in suburbium
Romanum pergentem a corvis retentum fu-
isse, alis eum plangentibus. Eo ostento
territum in urbem rediisse, cumque videret
Vestæ ædem flagrare, Palladio inde rapto ex-
cæcatum esse: postea vero temporis, expia-
ta ira numinis, usum oculorum recuperasse.
Caussam, quare nudum aspicere Palladis si-
gnum non liceret viris, SPANHEMIUS
exponit h). Scilicet nudam spectare παρθένον
αιδόντην, virginem verecundam, qualis dicta in
hymno Homericō hæc Dea, eamque ἄλει-
τεον,

g) In Parallelis T. Opp. II. p. 309. Cf. FRISCHLINI
ad Callimachum annotat.

h) In Observationib⁹ ad Callimachi locum cit.

τρον, ut in Panathenæis, teste A T H E N A E O, i)
ab Atheniensibus cultam, minime decebat; ac omnino ab illo ejusdem Deæ intemerato
pudore & verecundia videbatur alienum. Præterea venerationi erga imagines sacras
conservandæ augendæque non parum con-
ducebat, si vel nemini, vel paucis tantum il-
las aspicere fas esset. Interdum & eos, qui
templum aliquod sacrosanctum temerario
ausu intrassent, eundem casum expertos es-
se legimus. Sic de Aepyto, Hippothoi filio,
Arcadum rege, P A V S A N I A S refert, k) ὅτι
ἔστελθών ἐς τὸ ισεὸν, καὶ ποιήσας ἡχόσια, ἐπυφλά-
δη τε ἐμπεισόντος ἐς τὰς ὁφθαλμὰς ἀυτῷ γέγονε
ματός, καὶ ἀνίκα ἐπέλαβε τὸ χερῶν αὐτὸν εum,
cum templum Neptuni, quod Mantinea erat
in Arcadia, & a cuius aditu Agamedes &
Trophonius omnes prohibebant, *intrasset*,
sacriisque religionem violasset, *marinæ aquæ*,
& sacrissimis scatebris erumpentis, vi subita occi-
catum, neque multo post suo oppressum fuisse
fato.

§. III.

Neque vero soli Græci, sed Romani etiam
ex sacrorum & mysteriorum quorundam a-
spectu, imo ex verito in certa templo ingress-
su, visus jacturam metuerunt. Ita v. c. si
quis vir Bonæ Deæ cærimonias, a solis femi-
nis per agi solitas, oculis usurparet, eum usu
illo-

i) *Deignosoph. l. III. p. 98.*k) In *Arcad. c. X.*

illorum posthac earitum sibi persuadebant.
CICERO l) de mysteriis illis: *Quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a Regibus aequale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam erranteis? quo non modo improbitas, sed ne imprudensia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium in omni memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod fit per Virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, que est in imperio, fit in incredibili cærimonia, fit ei Deæ, cuius ne nomen quidem scire viros fas est: quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit. Non ignorvit, mihi crede, non. nisi forte tibi ignotum putas, quod te judices dimiserunt excussum & exhaustum: suo judicio, absolutum: omnium, condemnatum: aut quod OCVLOS, ut opinio illius religionis est, non PERDIDISTI. Eidem Deæ lucus quidam sacer erat, viris inaccessus: quo accedentem Herculem sacerdos Deæ parcere jubet oculis & abscedere, apud PROPERTIV M: m)*

Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo.
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.
Denique lex hic pertinet, cuius meminit
Sulpitius

l) Orat. de haruspicum responsis p. m. 499.

m) Lib. IV. eleg. IX. v. 53.

Sulpitius Victor, n) sub fine *Institutionum oratoriarum*, qua mas occæcari jubetur, qui Cereris fanum foret ingressus. Nempe quidam, cum mater ejus in Templo Cereris vapularet, ingressus est Templum, opitulatus est matri, petitur ad pœnam lege, quæ jubet, excæcari eum, qui Templum Cereris intraverit.

§. IV.

Recordari hac occasione subit ejus commenti, quo Theodecten poetam idcirco captum fuisse luminibus, quod in fabulam quandam suam nonnulla e sacris litteris transferre instituisset, singit Aristeas, Græci hominis personam mentiens, sed revera Judæus. Sic enim loquentem sisit Demetrium Phalereum Ptolemæo Philadelpho, Regi: o) Καὶ περὶ Θεοδέκτου δὲ, τῷ τῶν τεσταγωδῶν ποιητῇ, μελέλαθον ἐγώ, διότι παραφέρειν μέλλοντός τι τῶν αἰναγεγεαμένων ἐν τῇ βιβλίῳ πρός τι δρᾶμα, τὰς ὄψεις ἀπεγλυπτάθη. καὶ λαθὼν υπόνοιαν, ὅτι διὰ τοῦτο αὐτῷ τὸ σύμπτωμα γέγονεν, ἐξιλασάμνος τὸν Θεὸν ἐν πολλαῖς ἡμέραις, ἀποκατέτη. Accipi etiam de Theodecte, tragico poeta, cum voluisset aliquid, quod scriptum esset hoc libro, (Legis Mosaici volumine) transferre in quandam suam fabulam, fuisse visum ei ablatum, donec perpendisset hæc sibi evenisse propter hoc suum factum, & per multos dies reconciliasset sibi Deum votis suis. Simile est, quod de Phineo, Agenoris filio, Thrace HYGINV S perhibet, p) eum a Jove fuisse excæcatum, quod Deorum consilia enunciasset.

FINIS PARTIS OCTAVÆ.

n) Observante SPANHEMIO, ad hymnum Callimachi *in lavacrum Palladis*, v. 82. o) In Hist. LXXII. Interpr. p. 321. edit. Dalianæ. p) Fab. XIX.

Ed 302^a
3

Vor 18

ULB Halle


3

006 378 196



3

Mc



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



JO.GOTHOFR.LAKEMACHERI
GR. ET ORIENT.LINGV.PROF.ORD.

OBSERVATIONES PHILOLOGICÆ

QVIBVS

VARIA PRÆCIPVE S. CODICIS
LOCA EX ANTIQVITATIBVS
ILLVSTRANTVR.

PARS VII. ET VIII.



HELMSTADII
Impensis CHRIST. FRIED. WEYGANDI.
MDCCXXXII.